10 H.I 2568²

DE
HEINRICI III IMPERATORIS
BELLIS UNGARICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III. DECEMBRIS A. MDCCCLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS STREHLKE
BEROLINENSIS.

BIBL. UNIV. GANDAV.

ADVERSARII ERUNT:
KAR. BUDDEE, JUD. CAM. REF.
GUIL. MANNHARDT, PHIL. DR.
JOH. VOLLBAUM, JUD. CAM. AUSC.

BEROLINI
TYPIS FRATRUM UNGER.

Digitized by Google

PRAECEPTORI

PRAESTANTISSIMO DILECTISSIMO

D. THEODORO HIRSCH

GYMNASII GEDANENSIS PROFESSORI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Qui sperabatur ultimus evasurus mundo, ab incarnato Christo millesimus annus, gravibus profecto quondam futuris populo nostro duabus rebus novi saeculi initium notavit, quum Romano ille veteri restituendo imperio deditus juvenis Otto III. Germaniaeque forsan utiliora negligens Gnesnensi erecto archiepiscopatu tam Poloniae liberandae jaceret fundamenta, quam Ungariae a subjectionis exspectatione alienandae Waico duci a Silvestri papa II. praeter coronam et benedictionem archiepiscopalis et episcopalium sedium creandarum impetrata licentia. Atque earum altera quidem quomodo praeparata sit conversione populi principumque, satis dilucide potest cognosci; minus, quae in Ungaria, non ut Polonia annexa imperio nec aliquamdiu subdita Teutonico metropolitae, Christianitatis fuerint primordia Unde quae hucusque innotuerunt, perspicacissime composuit Dümmler (Piligrim von Passau und das erzbisthum Lorch. Leipzig Hirzel. 1854) usque ad Stephani I. tempora generaliter Ungaricam historiam tractans (cf. eundem in ‚Archiv für die kunde Oestreichischer geschichtsquellen'. 1853. 10. p. 52 sq.), ita ut pauca tantum videantur addenda. Ne hoc quidem meum potest esse post Endlicherum (Die gesetze des heiligen Stephan. Wien. 1849.) magni regis sapientiam enarrare, qua regiam stabilierit potestatem, catholicam protulerit fidem, subjectorum lenierit mores; sed solum, quid cum nostris regibus habuerit commercii aliqua ex parte perstringens, viam mihi parabo ad illa explicanda bella, quibus maximorum unus eorum bellatoris

Digitized by Google

egregii laudem comparavit sibi, de imperii super alias nationes potestate hominum cogitationibus aliquamdiu veritatem; quibus denuo erupit jam fere suppressa vetus Ungariae superstitio, ut penitus divelleretur, tandemque id huic terrae succedebat a fortuna, ut per complura saecula libera ipsa ab alieno jugo Christianae legis exteraeque eruditionis et industriae uti posset emolumentis; quibus revivescebat Ungarorum et Germanorum simultas antiquarum de Hunis fabularum postmodo paene divino carmine celebrandarum renovans memoriam, et acquisita est a nostris non minima ejus soli pars, imperiali urbe Vindobona, jam tot ac tantorum regnorum metropoli, illustris, mox multorum poetarum egregiorumque militum patria, ubi id omnium in admirationem, Germanis insuper nobilem in gloriam literis est mandatum.

Quorum bellorum historiae, obscurae antea fabulisque depravatae, ut multis aliis rebus per haecce tempora, quasi novam quandam lucem incendit v. cl. Giesebrecht Altahensium annalium restitutione, ab ipsis novissimis Ungarorum historiographis non sine ingratitudine neglecta; unde mihi fere egresso licuit criticam adhibere in nebulosas illas narrationes a veteribus in honorem gentis, jam ipsis in dedecus editas; neque minimum, si quid praestiterim in mundanda non levi patriae finitimaeque terrarum historiae parte, huic me debere grate confiteor. —

Digitized by Google

Caput I.

„Res inter Stephanum Ungariae regem Germanosque actae“;

Caput III.

„De bellis ab Heinrico III. contra Andream Ungariae regem gestis“;

Excursus

de

Simonis de Keza

chronico

opportuniori si invenitur occasioni reservantur publicanda.

Caput II.

„De bellis ab Heinrico III. contra Petrum Ovonemque Ungariae reges gestis.“

Stephano Gisela conjux complures genuerat filios[1]); ipso 1025o. anno ‚pro salute sua, coniugis ac prolium suarum' ille monialibus Graecis in Veszprimensi valle fundavit parthenonem.[2]) Sed obiere ceteri parvuli, ita ut 1031 non superesset nisi Emmericus sive Heinricus, Ruizorum dux (v. cap. I.), qui et ipse illo anno, quum venaretur, ab apro est discissus.[3]) Jure rex potuit queri opus a se inceptum post obitum summo laboraturum pe-

1) V. maior Steph. c. 16.

2) Fejér. cod. Ungar. dipl. I, 312.

3) Ann. Hildeshem.; cf. v. mai. Steph. l. l.; chr. Poson. Endlicher. Rer. Ung. mon. Arpad. 1849 p. 55.

Digitized by Google

riculo.[4]) Subsistebat jam spes regni in cognatis, qui supererant, tamen ob id etiam non valde firma, quia similis tituli erant plures, ita ut esset eligendus, cujus praecipuam de augenda Christiana fide Ungarisque extera eruditione poliendis haberet exspectationem.

Vivebant sub Stephani mortem de stirpe regia: I.) Gisela uxor; II.) Wazul, fratris, ut videtur, filius; III., IV., V.) Andreas, Bela, Leventa, Wazulis filii; VI.) Adeleidis, Andreae filia; VII.) Stephani sororis filius, Petrus; VIII.) alius quidam ‚nepos' illius vocatus; IX.) Petri soror.[5])

---

4) Cf. v. mai. Steph. c. 15. 16. 18.

5) I. Giselam Heinrici Rixosi, Baioariae ducis, filiam, sororem Heinrici II. imp. fuisse satis est notum.

II. Wazul a S. Gerardi admodum fide digno biographo (c. 19 Endl. p. 227) ‚de genere Sti. Stephani' dicitur fuisse, Andreae, Betae, Leventae pater; illi Keza p. 114 (‚quidam autem istos fratres ex duce Wazul progenitos asseverant' cet.) obloquitur; sed hujus autoris, quippe maximam partem Jordanis, Solini, Pomponii Melae, Justini, Sulpicii Severi, Reginonis, anonymi Belae regis notarii. vernaculorum annalium (cum servatis apud Albericum cognatorum?), Stephani regis decretorum, Hartvici, v. S. Gerardi, Altahensium annalium verba adulterantis, quas solus profert opinionibus fidem minimam esse concedendam fusius docet excursus. Hoc praebet stemma valde dubium:

Geisa — Michael
Stephanus — Wazul. Zarladislaus;
Andreas. Bela. Leventa.

iam de Michaele nesciunt omnes ceteri. Filii Wazulis (cf. III, IV, V) vagae notionis verbo ab annalista Altah. 1046 ‚nepotes' Sti. Stephani vocantur, a Lamberto h. a. propinqui Petri, ita ut certe admodum cognatus ei debeat fuisse. Est conjectura, sed cujusdam veri similitudinis, eum fuisse illum ‚nepotem Stephani ex fratre', quem Aventinus 492 Brunnerusque 217 consentiunt (ann. Altah. innisi, ut puto) 1038 esse caecatum, haeque in re Kezam p. 109 rectum invenisse opinatus sim, qui vix scivit, ubi Wazulem cum caeco isto conjicit. —

III., IV., V. Andreas, Bela, Leventa. Quum annales Altah. 1046 de ‚fratribus' Andreae loquantur nomenque proprium Ungaricum ‚Levediae' Constantino Porphyrogenito (d. adm. imp. 38) innotuerit, non bene Stenzel I., 143 n. 1., etiam contra fidem V.

Digitized by Google

1026 Stephani levir, Otto Urseolus dux conjuratione facta ejectus Constantinopolim se contulit 1032 ibi obi-

---

Gerardi c. 19, Fesslero gesch. v. Ung. I, 405 Praium diss. I, 31 secuto fisus Leventae i. e. ‚luctatoris' non fuisse nisi Belae cognomen contendere videtur. Propinquum Petri (v. Nr. VII.) vocat Andream Lambert. 1046, nepotes Stephani (v. Nr. II.) ann. Altah. tres fratres; qui secundum V. Gerardi l. l. gravius testimonium Wazulis filii sunt habendi, quum anonym. Belae c. 15. (Endl. p. 18) et qui eo usus est Keza p. 114 (hic fabulosis etiam additamentis, quas non moror), Zarladislai sive Ladislai calvi (v. S. Cassel magyar. altertümer p. 56) cujusdam natos eos esse adseverent.

VI. Andreae filia unica secundum Cosmam (II., 20) Adeleidis Wratislai Bohemiae ducis uxor habenda (Pray. ann. p. 60 et Pubitschka gesch. v. Böhmen III., 361 nihil contra probant), quae obiit 1062 27. Jan., quatuor liberorum mater, 1055 ducta in matrimonium. (Cosmas II, 15.)

VII. Petrum vocat Wipo c. 38 ‚Stephani sororis filium', ad cujus ipsa verba Herim. Contr. addit explicationem ‚de Venetia natum'; similiter v. maior St. 18 ‚sororis filium in Venetia genitum' dicit; ‚Veneticum' etiam vocat chron. Polon. I, 18. Keza solito more fontis (per Hartvicum v. maioris. c. 18) immutat verba a Giselae sorore genitum Petrum adfirmans. Ann. Ungar. ineunt. XII. saec. ap. Albericum (Leibnit. access. hist. II. b. 72): ‚rex iste Petrus — frater dicitur fuisse illius reginae Gisle'. — Itaque qui secundum stemma ap. Thwrocz II., 34, fictitium et male eius ipsius ‚Alemanno vel potius Veneto' concinens, Petrum Burgundionem habent, omni obluctantur fidei. Quae praeter haec de eius origine alii somniaverunt, nolo repetere; vilissimi etiam momenti, quae Kriebel ‚anfrage an die gelehrten Ungarns über die abkunft und verwandtschaft Peters, des zweiten Ungarischen königs' apud v. Hormayr. archiv. 1819, 321 sq. 331 sq. profert, possunt negligi. Quod Keza dicit: ‚Petrus, cuius pater dux fuerat Venetorum' eum sibi facile composuisse censeo; casu concordat sum antiquissimo, quo nitamur, inceuntis XIV. saec. Andreae Danduli, et ipsius Venetorum ducis, testimonio (chron. Venet. (Muratori SS. RR. Itall. XII, 235), Ottonem, Petri Urseoli ducis filium, inde a 1019 ipsum ducem, hoc tempore Geysae filiam, Stephani regis sororem, ‚mulierem utique generositate serenam, facie facundam (!) et honestate praeclaram' duxisse uxorem. Erat Otto Petri Urseoli ducis Feliciaeque filius, quem 996 Otto III. Veronae de baptismate levavit. 1004 etiam parvulus vocatur, 1007 Johanne ratre mortuo a patre collega factus,

Digitized by Google

turus, quum maxime revocare eum statuissent;[6]) hujus sororisque filium, ut erat orbus liberorum, rex ad se evocavit, Petrum, quem 1038 quidem ‚dudum' praefecerat ducem exercitui.[7]) Propinquus ille erat Germanorum principibus, propinquus etiam ut finitimo Dalmatarum Slavorum regi, ita imperatoribus Constantinopolitanis.[8]) Italos Stephanum arcessivisse, qui juvarent ipsum in perficiendis intentionibus suis vidimus supra, quin etiam ipse Gerardus, Chanadiensis regi in paucis carus episcopus

---

usque ad 1008 quidem annum non erat sponsus feminae, quia non memorat Johannes Venetus (mon. IX. 7, 1 sq.). 1026 pater expulsus, 1032 quum maxime revocaretur Cpoli. mortuus est (cf. cronaca Altinate II. ap. Archivio storico Italiano vl. VIII. Firenze 1845, p. 53.). Petrus quidem 1038 ‚dudum' a Stephano exercitui dux erat praefectus (v. i.); sororis 1041 mentio fit, Adalberti Austriae marchionis uxoris (Herm. Contr. ann. Alt); 1046 conjugis (Herm. Contr.). — Sit licet non accuratissima Andreae Danduli ad 1019 revocantis nuptias computatio, certe 1039 Petrus vix vicesimum primum annum potest egisse. — Sed de Petri sorore, Adalberti uxore, oritur difficultas. Si fuit Ottonis Urseoli filia, non potest fuisse Luitpoldi mater, 1041 jam ‚belli ducis' (ann. Alt.) qui ‚adolescens' 1043 decbr. obiit (H. Contr.). Ne nomen quidem constare Petri sororis monuit v. Meiller, regesta Babenbergensia p. 196. sq.; quippe vocatur quidem vidua Adalberti in diplomate 1058 1. Octbr. ‚Frowila'; sed in diplomatis 21. April. 1048. 12. Novbr. 1051. (v. reg. cit. p. 6 n. 11, p. 7 n. 16) ‚Froizae' abbreviatum vocabulum rasurae est superscriptum.

VIII. v. infra not. 78. —

IX. Petri soror, cf. VII. —

De ‚Julorum' familiae, affinis Stephano, (ann. Hildesh. 1003. anon. Belae 24. 27 cf. Thietmar VIII., 3, Dümmler Pil. v. P. 165 n. q.) postremis fatis nescitur. Ovonem, postea regem, solus Keza vocat Stephani sororium (sororis filium ? maritum ?), qui idem regiae Attilanae (!) stirpis eum asserit fuisse; vix igitur dignum est, quod curetur; vix digna, quae memorentur, profert chron. Hung. c. 10. Endl. p. 76. — Anonymus c. 11 p. 14. biographi S. Gerardi c. 10 (Endl. p. 215) Chanadinum (Sunadem) solus Stephani regis nepotem vocat.

6) V. s. not. 5, VII. —

7) V. maior Stephani c. 18.

8) V. chron. Joh. Veneti. l. l.

Digitized by Google

Emericique quondam filii praeceptor, erat Venetus.[9]) Petrum igitur quamvis admodum juvenem vix viginti unius annorum, neglecto usitatiori successionis ordine, postquam tractavit cum episcopis et ipsis plerumque advenis, primisque palatii, Christianae fidei curam praesertim iniungens, praelatum ceteris cognatis regem declaravit[10]) in ipso articulo mortis, qua 1038 15. August. est abreptus,[11]) illorum, qui clam fovebant etiam tunc veterem superstitionem exterorumque odium Itali, solam ob matrem de Ungarico sanguine, promotione denuo ira mota. Vel ipsum contra Stephanum inter 1031 et 1038 eruperat conjuratio primorum quorundam palatii; oppressa illa quidem est, sed pullulabat clam paganorum morum amor.[12])

Moribundus Stephanus Gisclae uxoris patrocinium prae aliis rebus commendaverat successori;[13]) non vilis forsan fuerit opera eius in hoc designando, sed quod ‚multas malitias' eam ob id commisisse arguunt Ungari Germanorum commoti odio, iniuste certe agunt, praesertim quum paulo post minime eius coluerit amicitiam Petrus.[14]) Pacifice novus rex coronabatur, cui omnes

9) Cf. de duobus archiepiscopis Romualdi sociis (cap. 1 not. 5a.). V. Romualdi c. 39 mon VI. 4, 853.

10) V. maior Stephani c. 18. —

11) Ibid. — V. minor c. 10. — Chron. Poson. (Endl. p. 55). — Ann. necrol. Fuld. Böhmer f. III, 160. — Necrol. Altah. mon XIII. 11, 710. — Wipo 38; cf. ann. Altah. ap. Waitz. Götting. gel. anz. 1842 12. März; 41 st. p. 405.

12) V. minor Stephani c. 7. —

13) Tale aliquid Altah. videntur continuisse sec. Aventin. V. 14 p. 492. Brunnerumque. —

14) Albericus s. a. 1010 (Leibnit. acc. hist. II. b. 45) ineuntis XIII. s. annalibus Ungaricis usus (de quibus cf. Wilmans ap. Pertz. archiv. X., 231) refert: ‚illa Gisla regina ut dicunt (Hungari) multas malitias in terra illa fecit, et extremum post mortem sancti regis meritis exigentibus interfecta fuit'. Keza vero ex ann. Altah. historiolam suam solito more videtur conflasse: ‚Giselam, ut pro libito posset Ungariam amissa libertate Germanis subdere, Petrum ita instituisse regem, ut, quum Stephanus Wazulem arcessendum curaret

Digitized by Google

principes regni debitam fidelitatem spopondere;[15]) cognati effugerunt.[15a.]) Ut Slavicarum gentium per illa tempora complures principes id sibi proposuerant, ut apertis quidem terris Germanorum eruditioni advenarumque diligentiae, ipsi tamen quam maxime abalienarentur ab im-

quem faceret successorem, mitteret Sebum comitem ad excaecandum illum auresque plumbi infusione obturandas; flevisse Stephanum consuluisseque Andreae, Belae, Leventae, ut fugerent in Bohemiam' (cf. ann. Altah. 1042 et infra not. 78). Sebi etiam memorat Aventinus p. 492 tanquam 1038 mortui; nomen utrique ann. Altah. ministrasse videntur. — Ceterum, ut diximus, paulo post mortem Stephani inimicissimus extitit Petrus reginae (v. i.); consenuisse eam bonis operibus in Ungaria, qui usque ad a. 1054 scripsit, Herim. Contr. testatur; laudis eius plenus est s. ipsius XI. biographus maior Stephani c. 10, et Adalbertus (v. Heinr. II. mon. VI. 4, 810) ‚Heinricus imperator ad fidei catholicae confessionem illos (Ungaros) attraxit. Quod ut facilius fieret, sororem suam Giselam Stephano regi eorum matrimonio copulavit, secundum apostolum dicentem: Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem' (1. Cor. 7, 14) cet. — Attamen vel in novissimos libros non sat perspecta fontium natura, crimina ista descenderunt: ita Flegler ipse in recensione libri ‚Szalay hist. Ungar. I.' (allg. monatsschrift. Halle. 1852. I, 1075): ‚Nach einem sorgenvollen leben' ait, ‚waren die letzten jahre des königs von krankheit und kummer gedrückt. Sein einziger noch übriger sohn starb vor ihm dahin und István musste sich noch am rande des grabes nach einem nachfolger umsehn, der ihm die erhaltung des mühsam aufgerichteten werkes verbürgen dürfte. So entspann sich an dem hofe des durch körperliche gebrechlichkeit gehemmten fürsten ein gewebe von intriguen, in folge deren die älteren glieder des Arpádischen hauses teils ermordet, teils des landes verwiesen wurden und die königinn mit des königs neffen Peter von Venedig meisterin des feldes blieb. Letzterer konnte nach István's tode ohne besonderes hinderniss den erledigten thron besteigen'. — ‚Herr von Szalay hat, wie mir scheint', addit, ‚das schlimme wirken Gisela's und Peter's mit allzustarken farben aufgetragen. Beide hätten ohne bedeutenden anhang im volke so nicht auftreten können, und die späteren ereignisse zeigen in der tat, dass die gegensätze weit tiefer lagen und den einzelnen persönlichkeiten guten wie bösen, dabei nur ein sehr mittelbarer einfluss beigemessen werden darf'. —

15) V. Gerardi c. 17 Endl. p. 226. —

15a.) Cf. n. 78.

Digitized by Google

perio,[16]) ita Petrus quoque multis sese stipavit peregrinis infracta omnino veteri cum imperatore amicitia subditionis simili.[17]) Sentiebat non viliter de regia sua dignitate. Prudenter quidem Stephanus cum Bohemiae Udalrico Bretislaoque ducibus servaverat intimam pacem, qui procul dubio ob communem utilitatem in Poloniae respiciens res retinuerat secum Casimirum profugum eius ducem. Quem et ipse ne dimitteret, quaesivit ex Petro Bretislaus, iam tunc forsan Ungarici regni appetitore alio Stephani cognato in Bohemia praesente,[17a]) si reservare vellet secum quasi haereditariam familiaritatem. Sed indignabundus respondit regali voce Petrus legatis nolle se carcerarium esse Bohemorum et parvi pensis eorum minis ducem ducentis instructum equitibus totidemque peditibus honorifice, quo vellet, vel ipsam in Germaniam, concessit abire.[18]) Attamen ne ipsius quidem convalescere denuo Poloniam poterat interesse et paullo post artissimum iniit cum Bretislao foedus.

Bretislaus Bohemiae inde a 9. Novbr. 1034 Moraviaeque dux, 1035 18. Mai Babenbergae Conrado solenniter sese commendaverat[19]) fuitque, quoad vixit hic, quietem agere visus, sacramentis detentus ac metu; fere silent de eo per quatuor annos fontes, quia magna latenter parabat. 1037 obiit Boleslaus, 1038 Jaromirus, caecus uterque patruus;[20]) jamjam supererat solus ferventis juventutis vir[21]) de veteri ducum prosapia, Bohemorum spes. Vi-

16) Ita Suatoplucus Magnus. Cf. Dümmler de Arnulfo. p. 112 sq. —

17) Adalbertus V. Heinrici II. c. 29. mon VI. 4, p. 810: ‚H. II. Pannoniam fidei catholicae et Romano imperio adunavit'; cf. ann. Hildesh. 1042. Sigibert. v. cap. I. not. 31. —

17a.) Cf. ann. Altah. 1042. Herm. Contr. 1042. —

18) Chron. Polon. I., 18. — Cf. cap. I. not. 52. —

19) V. cap. I. not. 52. —

20) Ann. Pragenses. —

21) Post 1013 natus videtur secundum Cosmam editoribus (mon. XI. 9, 58 not. 3); sed est animadvertendum, jam 1031 Spitigneum filium ei natum esse (Cosmas I., 41, ibid. 65). —

Digitized by Google

debat Poloniam orbam duce civili dilacerari discordia discriminique accrescere, quo rem suos in usus posset convertere. In Masoviam usque progediebatur Russus; ipsa haec terra proprium sibi praefecit patronum; derelinquebat Pomeranus tributum, quum, cui daret, non haberet; summa miscebantur imis: ipsa periclitabatur Christiana fides. Augebatur in dies cum facultate cupiditas ultionis de tot iniuriis Bohemiae a Polonis illatis[22]); sed non hanc solum intendebat, maturabat aliud maius consilium. Boleslaus quondam fortis etiam Bohemiae potens omnes septentrionales Slavos sua subditione in quoddam aequipondium imperii congesturus erat, Suatopluci Moravorum principis quadam ex parte insistens quasi vestigiis: tertius iam adoptabat Bretislaus simile propositum, qua illi decorati fuerant corona, hanc sibi quoque sperans eventuram.[23])

Conradus interea II. senio laborans ultimis suis annis Italiae prae ceteris dederat operam. 1036 Decbr. transscenderat Alpes, quem sequebatur mox filius; Aug. sive Septbr. 1038 in patriam sunt regressi. Dedit ille Burgundiae curam valentiori juveni 1038 Octbr., in quem mox totius imperii moles cecidit, quum 1039 4. Juni. Traiecti pater moreretur.

Quoties Germanorum obierat rex, rejicere jugum Slavi conati erant; ne Bretislaus quidem opportunitate non est usus. Quum omnis lugeret Germania filiusque Heinricus III pio officio patris corpus deduceret ad sepulcrum, quam celerrime congregato exercitu,[24]) ‚quantocius potuit',

---

22) Cosmas II, 2; cf. Roepell, gesch. Polens I., 275 sq. —

23) Palacky I., 278 (n. 87). I, 199. — ann. Altah. 1041. Giesebrecht p. 63. — Cf. Bonizonis lib. ad amic. Oefele SS. RR. Boic. II., 800 Heinrici III. gesta aperte Conrado II. adnumerans: ‚(Heinrico II.) successit in regnum Conradus cognomine, vir bellicosissimus, qui et post mortem imperatoris Heinrici Boemios signa regalia ferentes prostravit et signa reduxit'. —

24) Quum brevius sit tempus a 4. Juni. usque ad 24. Aug. Con-

Digitized by Google

‚in momento', ‚in ictu oculi', ut refert Cosmas, de Moravia irrupit in Poloniam, ac primo quidem in Chrobaticas Bohemici quondam iuris regiones, quas sibi subjecerat Fortis Boleslaus. Restitit nemo impetui quasi ingentis tempestatis furentis, saevientis, sternentis omnia. Subvertit Cracoviam veteresque evolvit thesauros; per medium regnum in alterum transvolavit caput, Gnesnam, ut quasi quodam palladio destitueret Poloniam, S. Adalberti corpore, ad quod pia fundens vota erecto archiepiscopatu Otto quondam III. Poloniae liberandae jecerat fundamenta. Triumphantem sacra oneratus praeda profanaque ac nobiles ducens captivos exercitus, Severus episcopus aliique sacerdotes Pragam comitati sunt, quam 24. Aug. Bartholomaei festo attingens 25. Aug. solenni intravit pompa. Ita duo menses jam amplius praeterierant, quibus novo regi ducis exspectanda fuerat commendatio.

Reges nostri, ubi primum ascendere fastigium dignitatis suae, monstrare se solebant Germaniae gentibus. Postquam Heinricus 4. Juni. Trajecti, dein Coloniae, 22. Juni. Andernaci, dein Wormatiae, 4. Juli. Spirae, 10. Juli. Moguntiae, Augusto Trajecti ad Mosam, 3. Septbr. in Saxonia Goslariae fuit, 13. et 19. Septbr. Botfeldi est versatus.[25]) Confugerat ad eum Casimirus puer,[26]) cuius

---

radi II. mortui nuntio ad Bretislaum perferendo; paciscendo cum Petro; expetendo, renuendo tributo; peragrandae, devastandae Poloniae; tres dies Gnesnae subsistendo, revertendo Pragam; minus recte Giesebrecht ex annalibus Altahensibus Aventinum p. 492 sumsisse putat, ‚suasu Petri, fretum eius auxiliaribus copiis ab imposito iugo Bretislaum resiluisse, tributum renuisse, Polonosque amicos regis infestasse'; qui potius aliunde haec sibi composuit, ut solito more rei inveniret causam, velut ex illo Herimanni Contracti 1040: ‚Petrus, Ungarorum rex eidem duci contra Heinricum regem auxilia mittit'. — Cosmas II., 5. — Gnesnae Severus Prag. ep. minitatus est, Bohemorum impios in Ungariam venum ituros esse. (?) —

25) Wipo 39. — Böhmer 1445, 1446. — Gesta ep. Camerac. III, 56 (mon. VII, 487 et not. 57). — Böhmer 1447—1451. — Höfer ztschrft. II, 161.

Digitized by Google

mater Richeza regina et ipsa versabatur in Germania,[27]) cuius avunculi Herimannus Coloniensis archiepiscopus Ottoque palatinus comes plurimum in aula valebant; cum eodem erat illo tempore finitimae Bohemiae Misniensis terrae marchio;[28]) tamen primo quidem, si pacifice res posset peragi spectabat. Misit ergo ad ducem, qui exigerent et commendationem cum tributo et Polonorum thesauros minitarenturque bellum, si ad statutam diem Bretislaus jussis non stetisset. Trahebat hic moras; cum Petro enim, Ungariae rege, conveniebat foedus, quem non diu ante ob superbiam quandam communi obstitisse utilitati retulimus; etsi tributum, tamen Poloniae thesauros reddere nolebat. Heinricus vero, nihil cedens de petitis, coëgit exercitum Ratisponam,[29]) ubi 25., 28., 30. Decbr. 1039, 1., 3. Januar. 1040 memoratur fuisse. Sed Bretislaus, denuo rem ducens, huc, etiam ante 8. Januar.,[30]) filium misit parvulum ipsumque se affuturum pollicitus est. Fidebat Heinricus dictis forsan motus etiam aspera bellandoque insolita tempestate et omisit expeditionem. Ipsa enim illa hieme Petrus quoque terminos regni ingressus australem marcam praedatione, incendiis, captivitate depopulabatur.[31])

Secessit Heinricus in Alemanniam, dein in Franciam, ubi 6. April Ingelhemi paschali festo Burgundiae quidam Italiaeque primates se ei dedidere; inde per Lotharingiam profectus 22. Jun. erat Argentorati, 2., 4. Juli. Triburiae,

---

26) V. supra not. 18. —

27) Roepell I, 174. 662 sq. — Ann. Altah. —

28) Dipl. ap. Schultes director. I, 154 ex Sagittar. hist. Eccard. march. 29 extr. —

29) Ann. Altah. —

30) Ann. Hildesh., Böhmer 1452—1456; Augustae erat 8. Januar. — In diplomate Hoefer ztschft. I, 168 ,1040. ind. VIII. ord. 12 r. l.' sine dubio V. id. Jan. scriptum est pro V. Kal. Jan. —

31) Herimann. Contr. — Ann. Altah. —

Digitized by Google

20., 21. Juli in Saxonia Goslariae, 28. Juli Eskenewegi.[32]) Bretislaus interea, quamvis ille teneret Spitigneum, neque pecuniam miserat, nec affuerat ipse, immo Petri auxilio fidentior factus, etiam Bohemorum fortissimo congregato exercitu perseverabat in oppositione. Multum rex et ipse conscribi iussit militem, simili atque 928 Heinricus I, 1017 Heinricus II consilio rebellis ducis terram oppugnaturus. Quum ipse 14. Aug. Ratisponae versatus fuisset, 15. Aug. Cambam pervenit, unde usque 21. Aug. contractum exercitum[33]) promovit in Bohemicam silvam, quo tempore Eccardus marchio Bardoque Moguntinus archiepiscopus Pragensis ecclesiae metropolitanus e septentrione irruerent in Bohemiam. Hi, 24. August. invasa terra offendere Pricosum comitem quasi marchionem in finibus Belinae urbis praesidium cum Moravis tribusque a Petro Ungarorum rege in auxilium missis legionibus tenentem. Quo pecunia corrupto facilem habuere aditum praedationemque, donec 31. Aug. occurrerent Bretislao, postquam fere delevit Heinrici copias 22., 23. Aug., contra istos volanti. Diremit pugnam Guntharius eremita ab Heinrico delegatus; rediere nostri et convenit pax, ex qua per Spitigneum Heinricus redimeret in silva captos.[34]) Omnino inefficacem fuisse hanc expeditionem consentiunt omnes fontes: Heinricum ulturum esse ignominiam patebat.

Num cum Ungaricis rebus cohaereat legatio illa, qua Jaroslaus, Russorum princeps regis nostri expetiit familiaritatem (30. Novbr. Altstadae),[35]) non liquet; Conradus quidem II 1031 Ottone fratre jussu suo e Russia invadente Poloniam, ex altera procedens ipse

---

32) Boehmer regest. 1457 sq.; Stenzel II. 211; Ann. Saxo. — Ann. Altah. — Schultes director. I, 154. — Schoettgen et Kreysig. beitr. I, 3. —

33) Ann. Saxo. Herm. Contr. — Ann. necr. Fuld.

34) Iidem. — Cosmas.

35) Ann. Saxo. —

Digitized by Google

Misiconem debellaverat.[36]) Permansisse se hostilis animi insequenti anno Petrus probavit.

Vere 1041 Seligenstadi, ubi 21. et 23. April. rex est versatus,[36]) celebri principum conventu de ulciscendo Bretislao deliberatum est et magna decreta expeditio. Ordinabantur supplicationes, ut Dei imploraretur auxilium, tantaque fiducia Heinricus est repletus, ut Bretislai legatos de foedere acturos infecta re domum remitteret. Parant vero etiam Bohemi militem aditusque terrae obstruunt; quibus hoc quoque anno Petrus rex misit auxilia.[37]) Cum nostro exercitu versabantur inter ceteros Herimannus Coloniensis archiepiscopus; versatus videtur esse et ipse Casimirus.[38]) Iterum duabus e partibus Bohemia est invasa. Feliciter rex superatis montibus 15. Aug. intravit, quam longe lateque devastans Pragam usque processit; ubi occurrerunt altrinsecus Eccardus marchio Bardoque archiepiscopus cum copiis.[39]) Tandem fractus est Bretislaus necessitate, quum etiam ex marca australi Liutpoldus, Adalberti marchionis fortissimus filius, eiusque exemplum imitati complures Baioarii miseram regionem depopularentur. 29. Septbr. urbs est aperta[40]) triumphantique regi dux omnem subjectionem tributumque, captivos Polonos, raptam pecuniam, damni reparationem, denique iam altera vice Spitigneum filium aliosque obsides obtulit; ipsum etiam se Ratisponae officium praestiturum pollicitus est. Et profecto, uti convenerat, c. 19. Oct.[41])

---

36) Wipo. 29. — Stephanus cum Wladimiro († 1015) servaverat pacem (cf. Nestoris ann. ed. Timkowsk. Moscuae. 1824. p. 90. ap. Palacky I, 232 n. 45). — Contra successorem hujus pugnanti Boleslao Forti quingenti Ungari aderant. (Thietm. VIII., 16). —

37) Ann. Hild. casu recte ab annal. Saxone in utroque anno 1040 et 1041 adhibiti. — Höfer ztschrft. II, 170, nr. XLIX. —

38) Vix alibi illam, de qua loquitur chron. Pol. I, 18, bellicam laudem apud Teutonicorum imperatorem parasse sibi potest. —

39) Ann. Saxo. —

40) A. Saxo. cf. ann. Alt. ‚42 dies'; falsus igitur est Lambertus s. 1041 in chronologia. —

Digitized by Google

hac in urbe publice veniam supplex petiit, reddidit ducatum cum vexillo, abdicavit se regio nomine et Polonia.[42]) Elevato Heinricus restituit dignitatem tributique dimidium remisit, Silesiam confirmavit;[43]) sed debuit videre Bretislaus Luitpoldum, qui adfuit cum patre, ob res contra ipsum egregie gestas equo suo ornamentisque militaribus decorari. —

Quo tempore sic Bretislai deditione, fidelis, quoad vixit, mansuri, Bohemicum bellum est confectum, novo cum Ungaris gerendo causa eminuit.

Audacius forsan Szalay l. l. 1080 (not. 14) in tanta fontium penuriaa rguit Petrum sine certo quodam consilio de exteris rebus egisse; crediderit Austrica illa Bohemicisque expeditionibus praeter libertatem dignitatis suae ab imperio acquirendam Ungaros suos occupandos, quos alias ob res infestissimos procul dubio sibi reddidit. Justissimae quidem irae qualem se gerebat domi, praebebat causam. Praeterquam enim quod tulit leges adversantes Ungaricis institutionibus,[44]) abutebatur juveniliter potestate sua, quoque major erat facultas, eo acriores exarsere libidines: objiciuntur summae lasciviae crimina;[45]) tamen prae ceteris Giselae antecessoris viduae molestum se exhibuit, omissa omni gratitudine, quam bonis destitutam ipsa libertate fere privavit. Descendit illa ad proceres eorumque implorabat intercessionem; quae tamen nihil valuit apud regem. Atque eo gravius ferebantur flagitia, quod advenae plurimum eorum erant participes.[46])

---

41) Ann. Altah. —

42) Ibid. — Cf. Bonizo Oefele II., 800 supra cap. II. not. 23. — Cf. Anselm. gest. ep. Leod. mon. IX, 7, 220. —

43) Cf. ann. Altah. 1050. p. 84. —

44) Ovo post acta eius rescidit. ann. Altah., H. Ctr. —

45) Ann. Altah. ap. Aventin. 492, quibus Keza solito more ‚dat colorem' (cf. p. 86). —

46) Ann. Altah. cf. H. Ctr. 1046. Ann. Sg.: ‚Petrus, quamdiu regnavit, in multis praevaricator extitit'. — Petri ap. Kezam II, 2 p. 110 oratio nullam habet originalem fidem. —

Digitized by Google

Quum vero saepies admonitus a proceribus non resipisceret Petrus, coniuravere quidam ex istis,[47]) qui Budam praecipue intimum regi scelerumque socium punirent. Ac dum is ad regis fidem confugit, regis opem implorat, vi abstractus in frusta minutatim conciditur, duobus filiis oculi eruuntur.[48]) Tunc ipsi sibi timendum erat Petro, cuius profecto mortem referuntur intendisse,[49]) relictoque regno vix evadens ad Adalbertum, orientali limiti praefectum, sororis maritum confugit, cuius ditionem ante ipsos duos annos devastaverat. Quumque primum non auderet adire Heinricum, tandem comes Adalberto Ratisponam petenti factus, huius interventu ad aures regis, qui tunc maxime Bohemia subacta triumphans revertebatur, aditum recepit.[49])

Provolutus ad pedes eius, quamvis nimium offendisse se regem sciret, veniam est impecratus et gratiam auxiliumque.[49a.]) Jacebat juvenis debilis animi fortunaeque ante severum et ipsum juvenem, qui elevavit eum de solo compunctus, ut ferunt, usque in lacrimas sortis humanae fragilitate, misertus infortunii promisitque paterno solatio auxilium se praestiturum restiturumque eum regno.[50]) Nec hoc minus tactus est, qui super ipsos Danos Hispanosque intendebat potestati, ut ad firmam subditionem perduceret Ungariam vacillantemque etiam ibi Christianam fidem roboraret, si fidelem sibi iuramentis factum[51]) gratumque imponeret regem.

---

47) Aventin. 495 Phisconem, Stoizlaum, Pezilonem vocat, sed unde? —

48) Ann. Altah. cf. ann. August. — Sigibert. —

49) H. Ctr. — Lambertus 1043: ‚Petrus, quem Ouban per vim regno expulerat'. — Cf. ann. Weiss. m. V. 3, 70. —

49a.) H. Contr. — Lambert. false ad 1040. — Sigibertus false ad 1042. —

50) Ann. Sang., ut videtur, hic quoque nescio quo classico autore usus. cf. infra. — Epistola Bernonis Augiens. abbat. ad Heinricum III. v. infra n. 163. — H. Ctr. 1047. Ann. Altah. — ann. Hild. 1042. —

51) Ann. Corbei. (Mon V. 3, 6.) 1044 ‚regem — regno privatum, sibi per iuramentum iam fidelem factum, instituit.' —

Digitized by Google

Ungari vero interea fugato Petro Ovonem quendam, ‚unum de magnis principibus',[52]) palatii comitem[53]) regem elegerunt, qui statim Petri regis acta rescidit.[54]) Quin etiam, ut postea Andreas, paganitati primum concessisse quaedam videtur.[55])

Quia vero et Burgundiae vocabant res neque tempus aptum erat debellandae tam difficilis aditus terrae, qualem jam cognoverat Conradus II., distulit rem Heinricus parandarumque opum ita otium reliquit Ovoni firmandaeque potestatis; nam erant etiam multi in Ungaria, qui faverent Petro. Sic 1042 quadragesimae diebus honestissimum quemque in aula, cuius fides erat suspecta, foedissimae morti crudeliter tradidit, palis et sudibus ‚velut bruta animalia' trucidandum; ita ut fere pollutus sanguine Chanadium ad Marisiam veniret in corona-

---

52) Ann. Ungar. ap. Albericum (acc. hist. II b., 72) ‚quidam Abbo, qui erat unus ex ipsis, de magnis principibus'. —

53) V. Gerardi c. 17. (Endl. 226) ‚Alba comes palatii'; ann. Sang.: ‚comes'. — Cf. chron. Pos. Endl. 55. —

54) A. Sg. — ann. Hildesh. — ann. Mellic. (mon XI. 9. 498). — Falsus ergo memoria fere aequalis Rodulphus Glaber V, 3 scripsit: ‚Simul etiam genti Hunorum proprio moderamine regem Abbonem nomine (Heinricus) instituerat'. — H. Contr. — Ann. Altah. Keza. — Ovo etiam Aba, Abba, Alba, Oba, Obo, Obbo, Ouban audit; solus Keza (v. s. cap. II. not. 5) ‚sororium' eum vocat Stephani; quod I, 4 (p. 101). Ed et Edumen eius maiores vocat, habet ex anonymo Belae c. 32 ‚— — ex quorum eciam progenie longo post tempore rex Samuel descendit, qui pro sua pietate Oba (i. e. pater), vocabatur'; quod Chabam quasi horum patrem vocat Attilae sui filium, ipse adfinxit. —

55) V. Gerardi. c. 15 (Endl. p. 225 sq) subiicit huic prophetiam: ‚Scindetur — Ungaria et solvetur a iugo Christianitatis, a sacerdotibus usque ad laicos, laborque meus et predicacio mea despicietur et verbum dei non recipietur. clerus despectui habebitur, monachi erunt varii coloris in habitu et in diversis conventiculis morabuntur, deserta fugient et vitam solitariam non amabunt. multi eciam appetitu vane glorie laudes humanas querent, et erunt populo in parabolam et in derisum propter instabilitatem et presumpcionem. hec et alia que sanctus vir predixerat de gladio ulcionis in Albam regem — evenerunt'. —

Digitized by Google

tionem. Cui noluit Gerardus Italus ille episcopus ministrare; sed inventi sunt alii collegae, qui summo ornatu comitatuque cleri ac populi eum diademate ornarent,[56]) 1042 11. April paschali festo.

Heinricus interea 9. Novbr. 1041 Ulmae est versatus, 25. Decbr. Argentorati.[57]) Hic in celebranda incarnati Christi festivitate Wipo, Helveticae eruditionis sane lumen, fere amicus regis, huic tetralogum suum carmen obtulit, quo excitaret eum ad exemplum Gallicorum principum de treuga Dei pro potestate maius imitandum universalemque pacem promulgandam.[58]) Quae quidem 1043 demum indicta est; tunc tempus ei nondum adesse monstrabant statim, qui et ipsi aderant Argentorati cum Wipone, Ovonis usurpatoris legati de Petro recepto querentes.[59]) Quaeritabant superbe, utrum pacem vellet Heinricus, an bellum; ad utrumque pariter regem suum esse praesto. Quibus noster, quum ‚penes ipsos esse, utrum eligerent', respondisset, infecta re abeundi dedit consilium.[60])

Ovo vero de Heinrici mente certior factus et praeveniendum ratus, quanta potuit celeritate coacto milite non indicans bellum invasit in orientalem marcam, quum in adversa imperii parte versaretur ille.[61]) Bifariam di-

---

56) l. l. c. 17 (Endl. p. 226 sq.) (cf. 227) c. 19 init. —

57) Minime Augustae (Pertz ad Wiponem mon. XIII. 11, 244; cf. ann. Saxo 1042, Stenzel II, 214). Cf. Wipo. c. 4, ann. Altah. 1042 (p. 64. not. 5), diploma 3 Jan. 1042 Herestein (Böhmer 1498). —

58) Inter laudes, quas in tetralogo Wipo spargit regi, hanc prae ceteris urget, ‚pacis eum amicum iri vocatum; fore sub eo, ut pacatus sileat firmato foedere mundus'. Legenti versus 70—72, 95 sq., 120 sq, 130—133, 172—174, 179 sq, 185—189 placuerit forsan explicatio. —

59) Ann. Altah. cf. H. Ctr. 1042. — Ann. Hild. 1042. —

60) Secundum Aventin p. 495. una misisset legatos suos. —

61) 3. Jan. 1042 Heresteini in Alsatia (Böhmer 1498); 19. Januar in Burgundia (cf. Herim. Ctr.) ap. St. Mauritium (Wattenbach ap. Schmidt zeitschrift für geschichte VII. 1847. p. 533); 21. Febr. Basileae (ann. Altah.). —

Digitized by Google

viso exercitu in utraque Danubii ripa appropinquavit terminis, ipse meridionalem tenens, septentrionalem dux quidam, dum tertium agmen Carinthiam intrat. Inopinati illi prorepunt ad Trasini in Danubium incidentis ostia, ubi Germanorum reperiunt exercitum ineuntis quadragesimae festivitatibus e more deditum 15. Februar, quem coadunata utraque manus aggreditur. Vino somnoque sepultum facile opprimunt maximaque afficiunt clade. Ovo vero contentus successu nec fortunam tentare volens inde recessit; 16. Febr. constitit Tulnae, unde longe lateque devastans regionem ingenti cum praeda plurimisque cum captivis in Ungariam reversus est.[62]) In alterum globum, qui regressus super fluvium et ipse cum spoliis reditum parabat, Adalbertus Liutpoldusque filius marchiones, qui quam citissime potuerant quamvis parvam coëgerant legionem,[63]) fortiter irruperunt, quos Ungarorum captivi adesse auxilium videntes dejectis vinculis altera ex parte adjuvant. Turbantur hostes vertunturque in fugam; Maraham usque instant nostri, plurimos caedunt, omnibus excutiunt praedam. Quibus pepercerat ensis, plerumque in flumine occubuere; quo dux illorum tranato salvatus quidem est, tamen ubi pervenit ad regem suum, cladem oculorum amissione luit. Ingens recuperata est praeda captivique recepti.[64])

Pariter felici successu in ducatu Carinthia tunc maxime usi nostri sunt. Multam hinc quoque hostes coëgerant praedam, sed Godefridus australis Stiriae marchio prope Petoviam ad Dravum, vetus Germanicae culturae pro-

62) Ann. Altah.; H. Ctr. Ann. August. (mon. V. 3, 126) ‚Obo fines Baioariae invasit, magnaque exercitus eius pars ab Adalperto marchione deleta refugit'. Cf. Otto Fris. VI. — Lambert. 1041. —

63) 300 fuisse milites narrat Brunner p. 218; quod velut omnino fusiorem de marchionum pugna relationem habuerit ubique ex ann. Altah. non patet; cf. Giesebrecht. ann. Alt. 65 n. 4.

64) Ann. Alt. Hild. Wircib. August. (cf. supra not. 62). —

Digitized by Google

pugnaculum,[64a]) fere delevit eos ad internecionem. Gratum sese paulo post rex exhibuit Godefrido, quum 8. Novbr. Niuwenburgi (Naumburgi ad Salam) constitutus interventu Gebehardi Ratisponensis episcopi Godefridique ducis ‚fideli suo marchioni' bona Gestnic (i. e. Gösting) in comitatu Hengest, propriae marcae, prope Gracam concederet.[65]) Luitpoldum ‚fortem' dicere coeperunt, ‚maximam cladem Ungarorum',[66]) ‚victoriosum' Adalbertum.[67]) Tunc vero maxime Basileae rex est versatus 21. Febr., ubi Heinricum Cunigundis imperatricis ex fratre nepotem praefecit Baioariae, ab ipso huc usque e 1026 detentae; 11. April. paschali festo, quo coronatus est Ovo, Coloniae frequenti principum conventu expeditionem contra eum agendam indixit. 27. Mai Ratisbonae est versatus, 30. Mai Wirciburgi pentecoste;[68]) 29. Juni. Merseburgi; 25. Juli. Tullidae; 9. August Al-

64a.) Cf. Wattenbach praefat. ad Gesta ep. Salisb. mon XIII. 11, p. 2. Auct. Garst. ibid. XI. 9, 565; ann. S. Rudberti Salisb. ibid. 770 — 874 fundata est. —

65) V. Hormayr. archiv 1828. D. 98; taschenbuch 1830 p. 371, 374 (sed non Claustro-Neoburgi); v. Ankershofen. arch. f. kde. Oester. geschq. 1853 p. 233. — Hunc Godefridum sane ridicule confundit Buchner bair. gesch. III., 205 (‚Gotfried, auch Siegfried genannt') cum Sigefrido australi marchione, d. q. v. i. Erat Arnoldi Lambacensis comitis Regillaeque filius, frater Adalberonis, post Wirziburgensis ep. (dipl. Conr. II. 1025. 11. mai.; anon. Lambacensis V. Adalberonis ep. Wirc. ap. Pez. SS. rer. Austr. II., 7); occurrit praeterea in diplomatis Heinrici III. d. d. 1041 2. Mai Spirae, 1045 7. Dec. Fritislarae, 1048 2. Octbr. Polidae. 1055 videtur obiisse (cf. Tangl, in arch. f. k. Oest. g. 6, 344 sq.). — Erat strenuus ac fortis vir rebusque bellicis aptissimus et crebris proeliorum successibus clarus; cuius sedes Putina inclyta urbs vocatur ac famosa, quae quasi metropolis sit ac mater civitatum versus Pannoniam ad australem plagam ad arcendos Pannoniorum incursus et devastationes antiquitus constituta. Cf. Anon. Lambac. l. l. —

66) Ann. Hildesh. 1043. — (Buchner III, 205. —)

67) Cf. Keiblinger gesch. v. Melk I, 161. —

68) Errant ann. Altah. ‚mense dein sequenti' expeditionem factam esse in Ungariam. —, errat etiam Herim. Contr., qui autumno. —

Digitized by Google

tahae; 15. August. denuo reversus in interiora Babenbergae; 29. Aug. Ratisponae; exin tandem Ungariam versus est profectus.[69])

Pluviosa erat aestas,[70]) grassabaturque fames.[71]) Bretislaus igitur dux, qui cum Petro quondam contra Heinricum conjunctus tunc maxime cum Bohemis suis fidele huic exhibuit servitium, ut erat edoctus experientia Ungarorum bellandi morem terraeque naturam,[72]) consuluit regi, ut omissis a Danubio meridionalibus partibus, quarum paludibus et fluminibus Conradus II quondam fuerat impeditus, in septentrionali ripa promoveret exercitum.[73]) Reddens Ungaris ipsa eorum acta vastando processit rex et incendendo,[74]) novem cepit urbes, duasque prae ceteris populosas terminales quasi munitiones, Haimenburgum et Presburgum, Germanici utramque e superioribus temporibus vocabuli, igne evertit.[75]) Granuam usque progressus est demum,[76]) recedente Ovone,

69) Böhmer. 1499; ann. Altah.; a. Saxo; dipl. 15. Aug. 1042 Höfer zeitschr. für archivwesen I, 170 et chron. Merseb. mon. X, 179; Böhmer 1500; non potest genuinum esse dipl. 8. Aug. Confungon Lacomblet I, 110 sq. nro. 178 (aut l. pro VI Id. Aug. VI Kal.?); ann. Altah. — Höfer ztschr. II, 522. —

70) Ann. Laub. (mon. VI. 4, 19). —

71) Ann. S. Germani min. (mon VI. 4, 4); Anselm. gest. ep. Leod. mon IX. 7, 221. — Ann. Laub. (mon. VI 4, 19) 1043. —

72) V. c. I. not. 36. — ibid. not. 19. —

73) Ann. Altah. — H. Ctr. — Ann. August. —

74) H. Contr.; Ann. Mellic. mon XI. 9. 498 ‚H. r. Ungariam cum exercitu ingressus igne praedaque cuncta devastat.' cf. Sigibert. mon. X. 8, 358 ‚Ungariam devastat'. —

75) Ann. Altah.; de tribus urbibus maximis captis loquitur Lambertus; de duabus populosissimis civitatibus ann. Wircib., nomina dat Herim. Ctr. —

76) Falsi ergo sunt nominum similitudine Lambertus, regem ad fluvium Rabam pervenisse, et ann. Ottenburani mon. VII. 5, 6: ‚Rex Ungariam intrat usque ad Dravum fluvium'. — Recte judicat Köpke, ad chron. Gosecense Mon. XII. 10 p. 144. not. 46, quae hic de Dedonis pal. com. expeditione Ungarica narrantur, 1044 spectare, non 1042: cap. 9: (Dedo) „rebus militaribus adeo fuit aptissimus, ut suis

Digitized by Google

qui tandem ante fluvium substitit, imo ad impetum revertit milites.[77]) Bis incursabant hi nostros, bis ferebant repulsam maxima accepta clade. Super Granuam fugit Ovo et parti regni, quam ceperat armis, in deditionem acceptae pro promissis Heinricus Petrum erat praefecturus, qui versabatur secum, tamen destitit a proposito, quum hunc se regem recepturos provinciales negarent, et imposuit eis Stephani regis cognatum quendam, qui forte 1038 iam in Bohemiam confugerat, tunc vero maxime in Bretislai comitatu aderat ducem.[78]) Ungari partium illarum regi fidem fecerunt subiectionis sacramento[79]) velut ipse novus dux, cuius in praesidium relictis duobus milibus Bohemorum Baioariorumque[80]) ille rediit in Baioariam, dein

---

in temporibus nemini videretur esse secundus (cf. cap. 2. pag. 142). Unde in expeditione Ungarica per regem Heinricum III. anno inc. d. 1042 facta, quia cunctis virtutis militari se praetulit, primus stirpis suae monarchiam palatii a rege promeruit (cf. n. 47). Nam eius ductu et ingenio fluvium Raban rex transvadavit et tres urbes maximas cepit, vastavit atque succendit.“ (Sumptane e Lamberto partim?) —

77) Ann. Altah. —

78) Ann. Altah.; H. Ctr. — Non invenio in antiquis fontibus, V. Gerardi, cet., Andream, Belam, Leventam fugisse 1038 in Bohemiam, dein in Poloniam; immo illud Kezam p. 109 et 113 sibi consuisse arbitror ex V. Gerardi c. 19 p. 227 hujusque ‚Stephani nepotis' in Bohemiam fuga ap. ann. Altah. — Vox nepotis vagae est notionis. Quia tres fratres non referuntur fuisse nisi in Polonia, vix potest certe unus eorum hic dux haberi. Wazulem vero, si vixit etiamtunc, caecum turbulentae regioni H. non praefecerit. Quae vero aut. anon. ap. v. Hormayr. 1830 hist. taschenb. 334—336, 373—375 profert conjecturis superstruens alias, quum silent veteres fontes, negligenda puto. Bomyzlonem enim, chronicon Magnivaradense quoddam ap. Steph. Horwat. in ‚Tudománijos Gyujtemény 1828. 87 secutus, dicit Ladislai Calvi (de quo v. n. 5) (collato chron. Zagrab. ap. Kollar. hist. ep. Quinquecc. VII., 339) in Bohemia genitum esse filium et eundem ac Damoslaum quendam ducem in dipl. Geysae II. (Pray. diss. VII., 30). — Mirere hic quoque Kezae impudentiam p. 111 confundentis diversa, quum Albae legatos et Ungaros dicit recusasse Petrum. —

79) Lambert. —

80) Ann. Altah. —

Digitized by Google

in Saxoniam; 15. Octbr. fuit Northusae, 8. Novbr. Naumburgi, 25. Decbr. Goslariae.[81])

Novus dux, quamvis exiguae[82]) Ungariae partis validis instructus copiis dominus, ne hanc quidem potuit obtinere contra Ovonem, qui statim post Heinrici discessum repulit eum unde venerat in Bohemiam.[83])

Ita denuo hic potens erat totius Ungariae incassumque reddiderat hostilem impetum; sed minime se sensit tutum. Erant etiam, qui faverent Petro,[84]) quorum forsan clam auctus fuerit numerus ob istam crudelitatem tot nobilibus exitialem,[85]) instantem pluribus etiam, si deprehenderentur regis inimici. Huc accessit, quod, quia solito tyrannis more hominibus vilis conditionis ipsi omnia sua debentibus plurimos contulit honores, procerum animos etiam magis sibi reddidit infestos.[86]) Prudentius igitur quam quondam Petrus exterum subsidium Heinrici gratiam sibi quaerens vel ipso 1042 exeunte anno legationem ad illum misit. Quae Goslariae reperit regem nativitatem Domini celebrantem.[87]) Aderant ibi ornamenta festi Bretislaus, Bohemorum dux,[88]) Russorum etiam legati Jaroslai I filiae Heinrico iam sponso Agneti Pictaviensi nuptias

81) Böhmer 1501. — dipl. supra 65.; debet Niwenburgum fuisse in Saxonia, ita ut ex loco non possit coniicere v. Ankershofen arch. f. k. Oest. g. q. 1853 p. 233 Godefridum Lotharingiae superioris ducem cum rege fuisse in Ungaria. — Cf. not. 65. — Lambert. — Ann. Altah. — Ann. Ottenbur. —

82) Frustra ann. Sg. mai. (mon. I, 84) ‚ex maxima parte' Ungariam dicit ab Heinrico esse devastatam. —

83) Herm. Contr. —

84) Cf. supra c. II. not. 14. — V. Gerardi. c. 17, p. 226, 227. —

85) V. supra c. II. not. 56. — Keza quidem p. 111. hanc cladem, quam novit ex V. Gerardi l. l. connectit cum nobilium conjuratione, quam ex ann. Altah. 1044. —

86) Ann. Altah. 1044. inde Keza p. 111. —

87) Lambertum, ob ann. Ottenburanorum aliqua ex parte concordiam (mon. VII 5, 6), nollem arguere erroris, ut Giesebrecht p. 68. n. 1. ad ann. Altah. ad pentecosten Paderaebrunni celebratam Ovonis revocantes legationem, mallemque duplicem statuere. —

Digitized by Google

offerentes, ut quondam alii Wladimiri natae Ottoni III.[89]) Aderat etiam Petrus, exrex Ungarorum, quumque Ovonis oratores suppliciter orarent pacem, suppliciter hic regis auxilium contra violentiam implorabat, neve pro ipso iam fusum sanguinem frustra fusum pateretur. Nec impetrarunt illi pacem infectaque re ad regem suum se receperunt.[90])

Heinricus remansit Goslariae 5., 7. Jan.; 18. Jan. Hasselveldi; 23. Jan. Goslariae, (ubi etiam 14. Febr.?), dein Spirae fuit, ubi matris perfecit exequias.[91]) 3. April. Leodii pascha celebravit; 14. April. ‚Velenheimi' nescio quo in loco versatus videtur esse; 21. April. fuit Evodii solito conventiculis loco cum Heinrico Francogallorum rege tractaturus, 22. Mai. Paderaebrunni pentecoste.[92])

Huc denuo oratores suos misisse Ovo putandus est,[93]) quanti faceret pacem demonstrans, sive, ut bellum ducendis rebus differret: quibus Heinricus Ratisponae responsa se editurum ait principum congregato conventu praesentiumque consilio Baioariorum, ut, qui tulissent praeceteris damna ab Ungaris, de reparandis rogarentur, hancque ad urbem proficiscitur. 2. Juli. Stochus, 6. Aug. Richipertesdor nescio quibus in locis fuit, dein Ratisbonae denuo legatos iubet admitti cum conditionibus, quae tamen denuo non accipiuntur. Immo infra praescriptam diem excedere Baioaria iubentur.[93a.])

---

88) Lambert.; ann. Altah. —

89) Ann. Altah ; Lambert. — Thietmar VII., 52. —

90) Lambert.; Ann. Ottenbur. —

91) Böhmer 1502, 1503, 1504, 1505; 14. Febr. Goslariae in morte matris? (cf. H. Ctr.); Spirae (cf. ann. Altah.). —

92) Ann. Altah. — Dipl. post factam donationem editum, quia Giselae iam mortuae intercessoris fit mentio. Mon. Bo. XXXI. 1, 320, 1043 ind. XI. ord. 16. r. 4. — ann. Altah.; Böhmer 1506. — ann. Altah. —

93) Ann. Altah. — Cf. supra annot. 87. —

93a.) Ann. Altah.; Höfer ztschr. II, 525 ad 1044. — Cf. certe genuinam chronologicam notam, 1043. XI. ind. ordin. 16 regn. 5, 8

Digitized by Google

Quorum vestigia fere secutus est cum exercitu Heinricus, hac vice, ut ante septentrionales a Danubio partes, meridionales sibi proponens peragrandas regni capitibus, Alba regia, Veszprimo, Oedenburgo illustres, quibus potiri debuit ad subdendum illud. Ut vero non impedirent paludes faciliorque fieret processus, classis instructa est in Danubio ad commeatum copiarumque partem portanda;[94]) notabilis enim fuit is annus primo maximo gelu, dein ut frugum penuria, ita imbrium superfluitate.[95])

Etiam Karolus quondam Magnus, velis vento tumentibus, ad Avarum destruendum regnum secundo fluvio devectus erat;[96]) contra Ungaros, ad quem, Karoli nepotem, tandem ab illustri semine diu exul regnum gaudebant pervenisse, Heinricus iam eodem proficiscebatur.[97])

Altera igitur exercitus pars in dextra fluvii ripa processit, nullo paene obsistente.[98]) Ante Rabinissam fere una cum Rababa incidentem in Danubium se coadunaverunt agmina. Illa, quamvis per se haud ita lata sit ac profunda, tamen frequentissimis inundationibus Maeandricoque quodam cursu adiacentem regionem palustrem reddit difficillimique transitus;[99]) ubi tamen superari posse Ovoni visa fuerat, munitionibus, quarum hodieque vestigia superesse augurantur, eam firmari iusserat. Multa fortiter, multa feliciter iam egerat Heinricus in Ungaria;[100]) territus ergo

---

id. aug. Richipertesdor cancell. Adalgarius v. archic. Bardonis, iudiciali instrumento annexam ap. Ughelli (Italia sacra V, 287) Germanicorum vocabulorum corruptorem. —

94) Ann. Sang. (mon. I, 84). —

95) Ann. Laub. (mon. VI 4., 19). Ann. Sg.; Herm. Contr. —

96) Cf. Ann. Einh. 791. —

97) Wipo, tetralogus v. 159 sq.; v. Conradi II. c. 4; — cf. Otto Frising. VI, 32. — Ann. Spir. Böhmer f. II., 150. —

98) Cf. ann. Altah. —

99) V. Hormayr. hist. tasch. 1830. 337 sq. Sed autor, bene quidem doctus regionis situm ac naturam, nimia fiducia delineavit Heinrici has expeditiones. —

100) Ann. Sang. —

Digitized by Google

Ovo, quum postridie[101]) aliquando ille esset aggressurus castellum, vel tertio missis nuntiis pacem petit, quidquid a Maraha fluvio et Litaha de regno suo occidentem spectet, regi offert, subjectionem suam et populi, CCCC auri ‚talenta', totidem serica pallia[102]) mulctae nomine offert se traditurum, ut damna a se parata reficiat et non parvam pecuniam statim defert;[103]) captivos insuper omnes regi, Giselae reginae, quaequae ademta fuerint, se restituturum. Quorum vadem Pezilonem ducem cum aliis optimatibus, in quos animadvertendum esset, si pactis non staret et postridie Kal. Decbres. promissa factis non comprobasset, obsides tradit; unum modo deprecatur, ne in conspectum regis ipse venire cogeretur.[104]) Haesitasse primo videtur Heinricus;[105]) tamen mox principum habito consilio omnia accepit, Heinricum Baioariae et Bretislaum Bohemiae duces, qui erant in exercitu, ad Ovonem delegavit, coram quibus pacta iurisiurandi religione sanciret, servaturum se promissa[106]) nec excessurum novos regni sui fines confirmaret,[107]) rex tamen ab iis Heinrici nomine salutaretur.[108])

Ita hoc bellum quamvis non infelix,[109]) immo utile,

---

101) Ann. Altah. (Aventin. 499. Thwrócz II., 37).

102) Non insolitum munerum genus: sic Guilelmus Pictav. comes Roberto Galliae regi centum donavit pallia (cf. Bouquet X, 500, ep. 18). ‚Tapeta' inter alia poscit Leo Vercellensis episcopus a Guilelmo eodem. Cf. epp. Leonis ibidem. —

103) Cf. ann. Sang. 1043. — Lambert. —

104) Ann. Altah. — Ann. Hildesh. — H. Ctr. —

105) Cf. Herim. Ctr.: ‚Ovone vix impetrante pacem'. — Giesebrecht ad. ann. Altah. 1043: ‚Keza, der hier abermals unsern annalen folgt, erwähnt natürlich der schimpflichen bedingungen des friedens nicht und spricht nur von der auslieferung der gefangenen' — Beide (Keza et Thwrocz) werfen übrigens die ereignisse dieses und des vorigen jahres zusammen'. —

106) Ann. Altah. — Ann. August. — Ann. Mellic. —

107) Cf. ann. Sang. — Ann. Hildesh. —

108) Cf. Rod. Glab. V, 3 supra not. 54. —

109) De eo loquuntur etiam (ann. Hild. false 1044) ann. Wircib.

Digitized by Google

tamen non tanti fuerat successus, quam speraverat cum Petro; tributaria quidem facta est Ungaria,[109a]) tamen legitimo regi non reddita.

Termini novi, qui exin diremerunt Austriam Ungariamque, servantur hodieque eiusdem domini, quondam hostiles, iam duas provincias secernentes. Quis recens acquisitae regioni inde a modo Vindobonensi dicta silva[110]) in orientem praefectus fuerit, quaeritur. Giesebrecht (ann. Altah. p. 68 n. 2) Buchnerum secutus (gesch. Baierns III, 203) Stenzeliumque (I, 84) putat statim Sigefrido propriam marcam eam esse traditam, quumque Aventinus quidem (499) additam referat australibus marchionibus, Brunnerus vero nihil inde memoret, manere incertum, utrum ille hac in re Altahenses annales adhibuerit, an posteriorem Austriae propriae ambitum hoc iam in tempus tanstulerit. Attamen quum dicit Aventinus p. 499: (Heinricus) Caesar ‚regione recepta eaque in fidem Alberto eiusque filio Liutpoldo commissa, in Sueviam se confert', eum ex parte Altahensibus annalibus nisum putarem, novaeque possessioni specialiter Liutpoldum esse praepositum; vix enim aliam tangere potest terram, quod Herimannus Contractus 1043 eum obiisse refert ‚ab ipso rege marchionem promotum.'[111]) 1045 demum occurrit Sigefridus

---

(mon. II, 243); minus accurate ann. Corb. mon. V 3, 6. ‚Prima expeditio regis in Ungariam, deique dono totam provinciam in occidentali parte Histri subegit'. — Ann. Leod. (mon. VI 4, 19) ‚Rex cum paucis Obbonem de bello fugavit et lanceam, insigne regis recepit' cet. patet 1044 e respicere. — Bonizo ap. Oefele II, 801. —

109a.) Sigibertus. (mon. VIII 6, 358) cf 1044 ‚de Ovone rebelli'. — Rodulph. Glaber. V, 3. sup. not. 54. —

110) Huc inde a 984 prolati erant fines expugnata Mellica. Cf. Dümmler östl. mark in archiv. f. kde. Oesterr. geschq. 10. 1853, p. 73. — Otto Frising. de reb. gest. Fr. I. I, 32 ‚imperii Romani et regni Ungariae fines Litaha et Maraha'. — Pagus et ipse Osterichi est vocatus cf. dipl. II. III 1051. 25. Octbr., quum in dipl. 1045 3. Juni. lacuna nomini sit relicta. (not. 113.) —

111) Cf. ann. Aug. (mon. V 3, 126) 1043: ‚Liutpoldus marchio

Digitized by Google

ille marchio Australis, cui Heinricus III 7 Mart. Neuburgi ad Danubium CL mansos donavit inter Fischaham, Litaham, Maraham in ipsius marca, ubi placuerit eligendos.[112]) 3. Juni 1045 Bersnichi Altahae inferiori monasterio X mansos confert ad fluvium Taiove (Zaiaham) prope Sigefridi bonum in ipsius Sigefridi comitatu.[113]) Eodem die eodem positus in loco Reginaldo cuidam X regales mansos inter Litaham Fischahamque dimidiumque boni Risinperch in Sigefridi comitatu dat;[114]) 15. Juli. 1045 Aquis ob interventum Agnetis uxoris et Heinrici ducis Sigefrido Australi marchioni in locis Gebehardi Eichstadensis episcopi fundis conterminis, XV areas, in longum prope Danubium extensas et retro has XXX regales mansos contra Ungaricam plateam mensuratos et ab adiacente ville Stillefride eiusque terminis iuxta Maraham XX areas Cque regales mansos — contra Ungaricam plateam respicientes et ubi finiuntur termini proxime villae Stillefridae infra Maraham et Taiam, nec non Tutacha in comitatu ipsius marchionis'.[115]) In 1051 25. Octbr. edito diplomate iam tanquam Adalberto adiectae regionis memoratur.[115a])

Et ipsi Adalberto benignum se rex illo maxime

---

obiit'. Keiblinger quidem, gesch. von Melk 1851 I, 159 dicit: ‚(Leopold) seiner männlichen tugenden wegen noch bei des vaters lebzeiten zu dessen künftigem nachfolger erklärt'. — Ipsam hanc terram Ottonem Fris. cogitasse putarim, ubi (cf. Dümmler Piligr. v. Passau. 182 n. 24) dicit: VI, 32: ‚Ilic est Leopoldus, qui cum patre suo Alberto marchiam orientalem Ungaris eripuit'. VI, 15: ‚Albertus, qui postmodum marchiam orientalem, i. e. Pannoniam superiorem, Ungaris ereptam Romano imperio adjecit'. —

112) Böhmer 1525. Boczek cod. Morav. dipl. I, 118 sq. ex archiv f. Süddtschl. II, 233. —

113) Böhmer 1527. —

114) Non 4. Juni. cf. Mon. Bo. XXIX, 1, 81. Böhmer 1528. —

115) Böhmer 1530. Boczek I, 119 ex ‚archiv f. Süddtschld'. II, 234. — Sigefridum coniiciendo v. Meiller reg. Babenb. Adalberti filium facit; alii comitem Plaiensem cf. Keiblinger gesch. v. Melk I, 159. —

115a.) Böhmer 1623. — Mon. B. XXIX. 1, 105. —

Digitized by Google

tempore exhibuit, cui 1. Decbr. 1043 ‚ob servitutis ipsius et fidelitatis meritum' haereditarium suum bonum Bribesendorf in pago Pielaha in comitatu et marca ipsius Adalberto donavit.[116]) Expugnata regio ut Germanorum imperio ita industriae ut ita dicam est adiecta; minima illa quidem compensatio pro tantis, quibus Piligrimi Pataviensis quondam episcopi animus agitata fuerat, spebus tota Pataviensis episcopii iurisdictioni subdebatur;[117]) singula bona partim ecclesiis Baioaricis dabantur, quorum exempla retulimus modo Altahensem obiterque Eichstadensem, referemus infra Haimburgensem; partim laicis fidelibus velut Adalberto illi Sigifridoque marchionibus, Reginoldo cuidam, (Rizimano).[118]) Coloni nimirum Baioarici prae ceteris possederint villas, quibus similia patriis indidere nomina, tamen etiam Slavici generis nonnulli perhibentur fuisse.[119]) —

Jam floret ibi in terra ‚gladio' tunc ‚ab hostibus acquisita'[120]) alterius duorum summorum Germaniae principum sedes, velut haec ubi versamur in solo Slavorum quondam recedentium sanguine rubro erecta, utraque multarum terram metropolis Germanicaeque doctrinae atque industriae dudum caput. — — —

---

116) Böhmer 1513. — Cf. v. Meiller reg. Babenberg. p. 6 n. 10; p. 195 not. 32. —

117) Dümmler Piligrim v. Passau p. 68, 183 not. 26. —

118) Corrupto sane diplomate 1044 8. April. Heinricus ‚imperator'(!) interventu Agnetis ‚imperatricis Augustae' Rizimanno servienti suo quinque mansos regales in Rachestorff ad Litaham confert. Notae chronologicae inter se satis concinunt: ‚1044 ind. XII ord. 15 (pro 16) regn. 5. VI id April. Niuwenburgi' (ex Pez. cod. dipl. 1729 Fejér. cod. Ung. dipl. I, 335). — Winitherium cancellarium (Bardo archic. convenit) non inveni ante 7. Decbr. 1045 (Böhmer 1537); dein non ante 1048 25. Jan. (Böhmer 1571; mon. Boica. XXIX 1, 85). —

119) Cf. quamvis creduliorem aut. anon. ap. v. Hormayr. hist. taschb. 1830. 371 sq. — Buchner gesch. v. Baiern III, 110 c. n. —

120) Heinrici III dipl. 25. Oct. 1051. Mon. B. XXIX 1, 105. cf. supra not. 115a. —

Digitized by Google

Tres modo amplius hebdomades tota Heinrici videtur durasse expeditio; 3. Septbr. Pechlarae iam est moratus, reversus ex illa; 1., 2. Octbr. Ratisponae.[121]) Inde in Alemanniam se contulit Ulmam, post Constantiam Burgundiam petiturus ob suscipiendam sponsam, Agnetem. Cuius pater quondam Guilelmus Pictaviensis comes Italicum appetiverat regnum primo sibi, dein filio; hic potentissimus iamiam erat per meridionalem Galliam dynasta, ita ut his quoque nuptiis futurarum simultatum fomes destrui videretur.

Postquam Ulmae Octbr. celebravit principum conventum, Constantiae per quatuor dies amplius mirabilem habuit synodum.[122]) Illum Wipo quondam exhortatus erat ad universam promulgandam pacem neque difficile erat regi id persuasu, qui, quoties iniret bella, supplicationibus numen placare studeret, quoties victor absolveret, non erubesceret, nudis pedibus, laneis indutus vestibus, toto cernente exercitu, eidem reddere gratias; cui summum id erat studium, ut restitueret Dei ecclesiae dignitatem, exstirparet simoniam, locuto quondam: ‚Patet manifestissime, quoniam propter simoniacam offensam venerunt super filios hominum diversae clades, fames videlicet atque mortalitas nec non et gladius.' Silebant tunc maxime undique bella, ipsis in orientalibus partibus modo subiectus erat Ovo et pulchrum aliquamdiu quasi somnians somnium non perspecta bene hominum natura, omnibus omnia, quae in se deliquerant, remittens publicam indixit pacem. Dein Vesontione oppertus est Agnetem futuram uxorem, quacum 1. Novbr. Ingelhemi nuptias celebravit. Quam apparuit hic quoque Heinricus sui

121) Keza III ‚Cesar (rediit) consilio inductus ducis Loteringie' (Thwrocz. contra insultus Godefridi d. L.) rediit' mihi ex ann. Altah. 1043, 1044 sibi consuisse videtur. — Cf. Giesebrecht ann. Altah. p. 69 n. 1. — Böhmer 1507, 1508; dipl. sub Arnulphi nomine M. B. XXXI, 1, 323. —

122) Ann. Sg. — H. Ctr. —

Digitized by Google

similis ob nobilem severitatem, qui vacuos abire iussit et moerentes ioculatorum et histrionum greges![123]) — Turbabantur festi coetus non vili moestitia. Ipsa enim in Ingelhemo inter nuptiarum solemnitates Liutpoldus, Adalberti Austriae marchionis filius, marchio ipse tunc maxime a rege promotus,[123a]) quem ‚maximam cladem Ungarorum' dicere non dubitabant,[124]) magnae virtutis et pietatis bonaeque indolis adolescens et regi ob fortitudinem acceptissimus[125]) morbo correptus, post paucos dies defunctus est 9. Decbr. Quem summo dolore deploratum Poppo, Trevirensis archiepiscopus, patruus Treviris sepelivit.[126]) Marcam eius post quidem unum fere annum ac dimidium Sigefridum quendam tenuisse monuimus supra.

‚Fortis miles'[127]) marcarumque strenuus defensor obierat illo maxime tempore, quo pacem cum Ungaris servari non posse apparuit. Neque enim statuta die 2. Decbr. Ovo dimiserat captivos neque soluerat pecuniam, immo metu in tempus liberatus expeditionem moliebatur suscipere in Baioariam. Et peregisset, ni intestinis motibus fuisset impeditus.

Magna enim nobilitatis pars invita ob favores illos ab ipso hominibus de plebe collatos coniuraverat in eum Petrique restituendi consilium ceperat, quem praesentia mala vel optabilem reddebant. Verum ubi de conspira-

---

123) Ann. Altah. (cf. Keza). A. Sg. — H. Ctr. — Lascivam ei simoniam postremo Leo. gesch. d. mittelalt 1851, 313. unico vago factiosi Donizonis testimonio nisus frustra objicit; ceterum aliud sub ‚simonia' Heinrici IV tempore est intelligendum. — Glab. Rod. V, 5. —

123a.) V. supra not. 111. —

124) V. s. not. 66. —

125) V. s. not. 43., ann. Altah. 1040, 1043., H. Ctr. — Ann. Hildesh. — Ann. Mellic. —

126) Ann. Altah.; Mellic ; H. Ctr.; Hildesh.; Necrol. Mellic. (mon. XI. 9, 498 not.) —

127) Ann. Mellic. — Cf. etiam fortitudinem inter alias laudem ap Jocundum translat. S. Servatii c. 51. Mon XIV SS. 12, p. 112. —

Digitized by Google

tione a consciorum uno ad Ovonem delatum ceterosque hic capere nisus est, effugerunt ad Heinricum, Petri patronum, cuius implorarent auxilium.[128]) Econtra Ungarorum regis in favorem in Baioaria quidam exstitisse videntur proditores, qui illiciebant eum ad invasionem.[129])

Vix acceptius Heinrico poterat evenire quam nova populi discordia, ut tandem perficeret promissa restitutoque Petro firmius subiiceret regnum. Statuit illico rem suos in usus convertere.

1. Novbr. Ingelhemi nuptiis peractis, dein Moguntiae Agnete coronata, 28. Novbr. denuo Ingelhemi est versatus, ubi etiam 29., 30. Novbr., 1. Decbr.; 25. Decbr. Treviris; 2. Febr. 1044 Gandershemi: 21. Febr. Goslariae; 8. April Naumburgi (?); 22. April paschali festo et 26. April. Noviomagi; 30. April. Weridae; 2. Mai. Noviomagi, tandem 16. Juni Bondorfii in Nigra silva ad Wutaham.[130])

---

128) Coniurationis apud Ungaros principem Aventinus 500 sq. Loriconem vocat, cuius filium statim obtruncasset Ovo; Thwrócz II, 36 vero praeter Viscam Toyslanemque Pezilonem; sed hic erat obses apud Heinricum. Kezam hanc coniurationem cum nobilium clade 1042 ad libitum connectere monendum videtur. — Fictus est ‚50' numerus p. 112. —

129) Longa narrat Aventinus 499 sq. de Ratisbonensibus duobus fratribus, Bernulpho et Machthuno, Nitkeri Frising. episcopi, qui exhortati ad talia essent Ovonem; urbem suam se tradituros. (Ansam hic quoque Alt. ann. dedisse possunt videri, quum Keza II, 2 p. 112 confuse proferat subsimilia:

Aventin. 500 (Ungarorum legati) paucitatem nostrorum referunt. ‚idem literis B. et M. aulae sorices aperiunt'.)	Keza l. l. Bavari quidam nunciaverant ei, Caesarem cum paucis introisse,

Pergit ille, p. 501 per pugnam intercepti Nannonis crumenulam a serica zona pendentem continuisse illorum proditorias literas; quae quum Heinrico delatae essent, illos crucifixos esse. Non liquet unde haec fluxerint, male fontem a Giesebrecht p. 72 n. 2 Othochum (ex Othlono depravatum) dici, v. Waitz, Gött. gel. anz. 1842 I, 398. — Ex Avent. Buchner III, 201 hausit. —

130) Ann. Altah.; Glab. Rod.; chron. Andegav. (Labbé I, 276).

Digitized by Google

XX pondo auri CCque argenti marcas hoc die a Wormatiensi ecclesia procul dubio in belli expensas mutuatus est;[131]) non diu ante Ungari profugi ad illum accesserant. Statim enim ubi de rebus in Ungaria gestis certior factus est, ut Ovonem arte sua quasi tentaret, vero dissimulato consilio in Baioariam perrexit Austriamque, praetendens quidem, ut pactam pecuniam absque bello exigeret potiusque iure disceptaret[132]) re vero, ut clanculo Baioaricum Bohemicumque militem in expeditionem congereret.[133]) Neque iam procul aberat ab Ungarico termino, quum Ovo ut erat vafer peritusque ducendarum rerum, legatos[134]) direxit ad regem, qui inopiam excusarent, tantam pecuniae summam superiori anno tam cito acervari non potuisse, praeterea vero sive inprimis Heinrici et opes et consilia explorarent. Hoc quoque eis erat iniunctum, ut conviciarentur transfugis illis, ‚praedones ipsos esse et latrones discordiaeque inter reges sufflatores lascivos', repeterentque puniendos.[135])

Quae nimirum postulabant, offendere debebant Hein-

Lambert. — Ann. Altah.; H. Ctr.; Böhmer 1521. — Böhmer 1510. — Böhmer 1511 — Mon. B. XXIX 1, 80 (B. 1509), M. B. XXIX 1, 78 (Böhmer 1512). — Böhmer 1513. — Lambert. A. Saxo. ann. Altah. — B. 1514. — B. 1515. —V. supra not. 118. — Ann. Altah. Waitz Götting. gelehrte anzeigen 1842. 12. März. 41. stück p. 412 cf. Aventin. — B. 1516. — B. 1517. — B. 1518. — B. 1519, 1520. —

131) Böhmer 1519. —

132) Ann. Altah. (Keza 112. Aventin. 500). —

133) Keza quidem mutat: ‚cum exercitu Norico et Bohemico Austriam introivit'. —

134) Primores legationis Aventinus vocat Zudnichonem, ducem Nannonemque a secretis; benigne hos ab Heinrico esse susceptos; dein alteram venisse legationem colloquio regum diem poscentem; utrosque legatos secum Heinricum tenuisse; coadunatis copiis Haimenburgum ad colloquium processisse, ibi septem dies constitisse, frustra expectato Ovone, dein remissos esse legatos et obsides, qui de paucitate nostronem retulissent, cet.' Giesebrecht (a. Altah. 1044) deperditum fontem ab Aventino adhibitum esse putat; de quo v. not. 129. —

135) Ann. Altah. (Aventin 500, Keza 112).

Digitized by Google

ricum, qui iam inde intellexit non venisse legatos nisi speculandi gratia retinuitque eos secum, ut viderent suorum paucitatem replerenturque fiducia.[136]) Versabantur in exercitu haud ita magno praeter alios utriusque ordinis nobiles[137]) ipse Petrus rex causa belli, Bretislaus Bohemiae fidelis dux,[138]) Gebehardus Ratisponensis episcopus, regis patruus, qui quondam invitus militaria arma deponere a fratre fuerat coactus clericumque induere,[139]) Bruno Wirciburgensis,[140]) ut videntur Adalgarius Wormatiensis Theodericusque Basileensis.[141]) Meridionali in Danubii ripa velut superiori anno procedunt, quumque iam non distant ab Ungaris nisi unius diei spatio, laxat Heinricus legatos, quos bellum se indicare postque triduum pugnatum iri referre iubet. Abeunt illi; progreditur hic, ut condixerat, tamen hostem non invenit. Quem Ovo ob maximam suorum militum multitudinem[142]) ita despexit, ut eum quasi facile occidendum sui capiendum provinciam ingredi pateretur. Nullo obsistente Sopronium (Oedenburgum) usque Heinricus perrexit; de Rabinissae primum, cuius etiam 1043 anno, transitu munimentis praesidiisque praepeditus est. Quae nostri non tentavere, sed clam tota quadam nocte Ungaris transfugis ducenti-

---

136) Ann. Altah. De paucitate cf. ann. Corb.: ‚cum perparvis copiis'; Glaber Rodulph. V, 4; H. Ctr., A. Leod. 1043 —

137) Glaber Rod. V, 4. ‚Erant enim cum rege quam plures episcopi cum clericis multis, qui pietatis gratia inermes cum eo in certamen introierunt'. —

138) Cf. ann. Prag. in nota 151. —

139) 1027. Lambert. 1027. Ann. Hildesh. — Ann. Weissenburg. mon. V 3, 70.

140) Ann. Weissenburg. —

141) Adalgarius cancellarius 16. Juni. prope regem erat (dipl. Böhmer 1519); Theodericus 24. Aug. (ibid. 1522.) Unde autor Basileae sacrae, Brunntrütii 1658, p. 153 habeat, Thum. regi contra Ungaros propriis impensis auxiliarem manum misisse, non inveni. —

142) Rod. Glab. l. l.; A. Sg.; H. Ctr. —

143) Ann. Altah. —

Digitized by Google

bus falsisque hostium excubiis in superiori fluvii cursu ad vadum pervenere pontemque et transgressi etiam Dedonis pal. com. ingenio adjuti Ungaros, ut e castris se reciperent, coëgerunt. Venitur igitur ad Rabam, cuius transitus nullis arcetur castellis.'[143]) Consulto enim Ovo iam superari hanc permisit, ut extollebatur victoriae fiducia, ‚objectu fluminis fugam difficiliorem ratus' nostrosque mox ita iri oppressum.'[144])

Ubi vero transierunt fluvium, vident planum campum hostium ingenti exercitu repletum — statim tunc 200,000 fuisse militum fama divulgabatur — fessisque itinere, quum primum potiti sunt ripa, fere statim in proelium erat ruendum. Jam clausi erant nostri multitudine hostium ante oculos, a tergo flumine.'[145]) Ergo Heinricus necessitatem suis proponens virtutem verbis addidit neque iam superesse nisi in victoria salutem monuit, instructa-

144) Annalista Sangall. maior in describenda hac expeditione non minima ex parte veterum similibus narrationibus (id quod amat, cf. ‚altum servans sub corde dolorem' 1041 ex Virgilio; 983 mon. I, 80: ‚arte Darii quondam regis Persarum ponte navali iuncto Graecorum Siciliam intrare voluit Otto II, cf. Justin. II, 5) usus est; sed non inepte vel praeter rem. Justinus I, 8 de Cyri Scythico bello loquitur: ‚Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quae non muliebriter adventu hostium territa cum prohibere (Persas) transitu Araxis fluminis posset, transire permisit et sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata et hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem'; quae fere ad verbum noster habet, ut statim infra ex Pauli Diaconi hist. Langob. I, 17 (nisi, quod opinor, ex communi fonte hausit uterque) regis orationem ad milites Lamissionis, Amazonum depugnatoris, ad suos loquentis similem reddit: ‚melius esse dicens, fortiter in bello animam ponere, quam ut vilia mancipia hostium ludibriis subiacere'. Heinrici fortitudinem Alexandri Magni ap. Justinum XI, 14 adaequasse videtur, cf. XI, 9. — De transitu Dedonis ingenio parato cf. not. 76. —

145) Locum pugnae solus Keza II, 2 p. 112 indicat, Menfeu (Thwrócz addit II, 37: iuxta Jaurinum (i. e. Raab.), quem utrum populari memoria noverit, an ex verisimilitudine apposuerit, nescio. Ergo nimia fiducia aut. ap. Hormayr. taschb. 1830 designat illum; describit ‚montibus cinctum campum' cet. — H. Ctr. —

Digitized by Google

que pro loco et copiis acie pugnandi dedit signum Dei fretus auxilio,[146]) quem velut sanctos rogare opem non neglexerat.[147]) Etam hoc fiduciam auxerit multis, quod erat dies beato Udalrico, quondam Ungarorum propulsatori, festus 4. Julii.[148])

Jam proximi invicem erant exercitus, ita ut a ferentariis proelium posset incipi, iam coniiciuntur tela, quum repente, quod quasi praesens numinis auxilium summa spe nostros implevit, obductae coelo nubes condidere solem,[149]) turboque quam maximus exortus in Ungarorum ora pulverem proiicere coepit oculorum usum adimens, ita ut vix iuxta se positum aliquis posset agnoscere. Velut ante pugnam verba, ita nunc ipsa Heinrici virtus inflammabat illos cum vento instantes; quippe qui splendide armatus incedens ante ceteros quasi tempestas quaedam, ut elatiori voce praeconatur ann. Sg., fortissime[150]) obviantia quaeque sterneret. Non excelluerunt Ungari inde a primis suis temporibus compositis pugnis; ac primo

---

146) Gl. Rod ; ann. Hildesh. Sg.; H. Ctr. —

147) Cf. ann. Hildesh. sub 1045. — Ep. Bernon. v. infra. —

148) Dubitatur de die. ‚4 non. Jul.' habet Aventinus, forsan ex Altah.; sed Brunnerus habet velut H. Ctr. ‚3 non. Jul.' et ann. S. Rudberti Salisburg, marginalis nota in necrol. Salisb. M. B. XIV 386 et Mon. XI 9, 773 not. 61 ad 3 non. Jul.: A. 1044 dom. inc. H. imp. fil. Chuonr. Imp. Ungarios expugnavit regemque ipsorum effugavit et regnum Romano imperio subiugavit. In eo bello occubuerunt Eberhart subdiaconus, Sizo comes, Arnolt aliique Teutonum complures' Ego vero praetulerim ‚4 non Jul.' ob annal. Hildesh.: ‚beato Udalrico episcopo impetrante'. —

149) Rod. Glab. ‚caligo ac tenebrae'. — Ann. Altah. ‚inde Thwrócz II, 37 (cf. Giesebr. 73 not.) ‚Tradiderunt autem Theutonici, quod cum ad proelium appropinquassent, cum coelesti signo nebula tenuis apparuit, turboque vehemens divinitus incitatus terribilem pulverem ingessit Hungaris.' (singularia sunt, quae sequuntur): ‚quos iam pridem ut dicitur, quia Petrum suum regem dehonestaverant, domnus apostolicus anathemate damnaverat feriendo(s)'. —

150) Cf. Ad. Brem. III, 53 ‚fortissimus imperator Heinricus'. — H. Ctr. — Cf. cap. III n. 41; cap. II n. 127. —

Digitized by Google

statim impetu turbantur convertunturque in fugam, quorum ingentem numerum victores Germani 6000 tantum, ut fabulatur Rodulphus, numero ad sextum miliarium insecuti trucidant.[151]) Neque tamen ipsis omnino incruenta fuit victoria, occubuere Arnoldus Sizoque comes, Eberhardus subdiaconus aliique complures.[152])

Tandem receptui cani iubet Heinricus castraque fieri, et memor quasi manifesto a Deo se esse adiutum, supplicationem in ipso campo celebrari. Laneis rex indutus vestibus gregesque militum prope mortuorum corpora humi se prosternentes, Christo dederunt magnifici facilisque triumphi gloriam tantique miraculi gratias. Illud omnium erat gaudium, ut quicunque inimici antehac fuissent, obliti simultatum amorem inter se sempiternamque servaturos fidelitatem pollicerentur.[153])

Victus Ovo persequentium se manus vix effugit;[154]) magna regni eius pars patebat victori;[155]) catervatim occurrebant Ungarorum permulti subiectionem promittentes servitiumque.[156]) Cum Petro deinde Albam regiam

151) Ann. Altah.; cf. Ann. Prag: ‚Bracislaus fecit plagam super Ungaros'. — H. Ctr.: ‚innumerabilem Ungarorum exercitum'.

152) Necrol. Salisb. supra not. 148. — Nostrorum sec. Avent. 108 cecidissent; ‚paucissimi' sec. H. Ctr. — Keza quidem p. 113 ‚ex Teutonicis in illo prelio sine numero cecidisse' narrat, ‚unde idem locus ubi prelium est commissum eorum lingua usque hodie ‚florum Paiur' est vocatus et ‚Weznemut' nostra lingua'. Quod nomen posteriorem forsan quandam pugnam respicit (cf. Buchner gesch. Baierns III, 202 not.) et quam minimi crebrae Ungarorum scriptorum etymologiae sint habendae patet; cf. Keza p. 95 ‚ex — Hunis plures fuerant in exercitu' (Attilae in Katalaunicis campis) ‚capitanei constituti, qui Hunorum lingua Spani vocabantur; ex quorum nominibus tota Ispania postmodum est vocata' cet. cet. Anon. Belae c. 32 supra n. 54 ‚rex Samuel — qui pro pietate sua Oba vocabatur'. — V. infra 1052. —

153) Ann. Altah. — Ann. Hild. —

154) H. Ctr. — Quae fabulose refert hac de pugna Bonizo lib. ad amicum ap. Oefele SS. RR. Boic. II, 801 v. infra not. 181. —

155) Ann. Altah. —

156) H. Ctr. — Cf. ann. Corb. —

Digitized by Google

ascendit, quem, Ovonis uxore ac filiis cum ingenti pecunia ibi comprehensis, antea ne ducem quidem passis cum popularibus in gratiam redactum restituit regno validoque Baioariorum et Bohemorum relicto praesidio clientelae necessitate obligatum regnare iubet,[157]) id tantum Ungaris petentibus concedens, ut quomodo libera ducis electio summa erat Baioaricae libertatis, ipsi quoque confirmandi a nostris regibus, quando obiret rex, successoris eligendi haberent arbitrium.[158])

157) Ann. Altah. — De ‚urbe' cf. ann. Sang. mai. (mon. I, 85). — H. Ctr. 1044, 1046. — Ann. Corb. (mon. V 3, 6). — Bernoldus mon. VII 5, 425, a Petro uxorem et filios captos dicit v. infr. —

158) H. Ctr.: ‚Ungarios petentes lege Baiovarica donavit'. — Ann Altah. similiter, quae tacet Keza, in adversa commutat Thwróczius II, 37: ‚Concessit petentibus Hungaris Hungarica scita servari et consuetudinibus iudicari'. Quid vellet sibi ‚lex' ista, Baioarica' dubitabatur. Hoc cogitari non potest totam gentem alienum sumpsisse ius (Buchner III, 202 ‚die Ungarn — nahmen das baierische gesetzbuch — an'); speciale quoddam debet fuisse. Ridiculum est putatu Heinricum Ungaris exemplar Baioaricae legis donasse; (Luden gesch. d. t. volks VIII, 631) imo, quae in textu dixi, ob haec mihi verosimilia videntur. Conceditur principis electio lege veteri Baioariis, quam habemus II, 1 §. 1; II, 10 §. 4 (Walter deutsche rechtsgesch. p. 99 §. 113 n. 1: ‚Bei den Bajuvariern, deren verhältnisz unter Dagobert I (622—638) fester geordnet wurde, war ein vom volke erwählter aber vom könige eingesetzter und demselben zu huld und treue verpflichteter herzog aus dem alten einheimischen geschlechte der Agilolfinger, der die höchste fürstliche fast königliche gewalt bekleidete, recht und frieden schützte' cet cet. (cf. §. 167, 170). Quum Heinricus Rixosus morereturi, Heinricus Claudus filius 995 a Baioariis dux creatus ab Ottone III est confirmatus (Thietmar V, 8). Quum 1002 Heinricus Suinfortensis marchio ab hoc ‚iam rege, promissum ‚Baioarici regni ducatum' expeteret, respondi iussit rex (Thietm. VI, 3): ‚Nonne scitis hoc in hac expeditione nequaquam fieri posse, Bawarios ab initio ducem eligendi liberam habere potestatem, non decere tam subito eos abicere neque constitutionis antiquae ius absque consensu eorum frangere? Si voluisset expectare, usque dum ipse ad has regiones venirem, cum communi consilio principum eorundem ac voluntate sibi libenter in satis facerem'. — 1004 21 mart. Heinricus II Heinricum levirum ducem Baioariae constituit ‚cum omnium laude presentium' (Thietmar. VI, 3).

Digitized by Google

Dein summo cum honore ac laetitia quasi triumphans rediit in regnum suum et Ratisponam profectus non prius indictae supplicationis die gustavit quidquam, quam templa omnia nudis pedibus et in laneis circumivit et altaria templorum singulis palliis vestivit.[159])

Hanc victoriam quippe a paucis receptam super plurimos mirabilique naturae adiutorio illustrem aequales pariter ac posteriores prae ceteris admodum celebraverunt, neque solum Germani, verum etiam Galli Italique. Sumus usi supra ut Altahensis annalistae, ita Glabri Rodulphi latis expositionibus; praedicant eam elatiori voce annalista ut Corbeiensis ita Sang. eumque secutus Herimannus Contractus quique hoc nituntur. Ipse Wipo,[160]) quamvis seorsim sibi proposuerit Heinrici gesta referenda, non potest quin huius ‚nobilis atque mirabilis victoriae' inter ipsa patris acta obiter memoret, qua Ungariam domitam sapientissimo consilio sibi et successoribus stabilierit. De ‚magno confecto proelio subiugata Hungaria' quamvis brevissimi loquuntur ann. Laubienses (mon. VI 4, 19), similiter ann. Leodienses (ibid.; 1043). Herimannus modo dictus, de sella sua vix valens moveri excitatus est regis gloria, ut pugnam carmine celebraret, quod deperditum dolemus.[161]) Adamus

— Cf. Thietm. VI, 28. 1009 — optimi Bawariorum Ratisbonae regali edicto conveniunt, quamvis duci suimet ad tres annos se alterum non eligere omnes sponte iurarent. — Defuncto ‚in bona senectute' Heinrico duce 1027 ipse Heinricus post III a Conrado patre rege, frequenti Baioaricorum principum coetu (cf. Meichelbeck hist. Fris. I. 221) 24. Juni ‚principum delectu' successor substituitur (Wolfheri V. Godeh. poster. c. 22, (mon. XIII 11, 208 inde v. Meinwerci c. 200, ibid. 153). — Cf. Lambert. 1071. — Convenit optime, quod H. Ctr. refert 1045 Heinricum III Ungariae regnum tradidisse Petro, ‚quoad viveret possidendum'. Apud eundem 1047 Andreas illum rogat ‚ut regnum se habere permitteret'. — Quid? si id fuerit ‚sapientissimum illud consilium' ap. Wiponem c. 1? V. infra. —

159) Ann. Altah. —

160) C. 1. —

161) Memoriam huius velut primum versum servavit Otto Fris. chron. VI, 32: ‚Vox haec melos pangat'. Pertz in praefatione ad

Digitized by Google

Bremensis (II, 71), ubi nostrum Heinricum significare vult, dicit de Heinrico ‚illo qui Ungros domuit', similiter posterior Herimannus Altahensis[162]) ‚de pio rege, qui gentem Ungarorum Romano imperio bellando subiecit'. Quid dicam de Ottone Frisingensi, quid de Andrea Dandulo, de Gregorio VII papa, Bonizone, Mediolanensi Arnulfo, aliis? Quorum testimoniorum pars etiam infra mihi erit spectanda. —

24. August. Merseburgi, 25. Decbr. Spirae, dein contra Godefridum seditiosum Lotharingiae superioris ducem bellum gerens in eius terra Jan. 1045 Boekelhemi, 23. Januar. Solodori, 30. Januar. Turici,[163]) dein Augustae rex versatus est, unde in Baioariam se contulit denuo Ungariae provisurus rebus.[164])

Ovonem iam solum ob nomen regem amisso proelio vix elapsum sensim ultimi socii derelinquebant deficiebant-

---

Herim. Ctr. dicit Wiponis esse, sed non perseveravit in eo (mon. XIII 11). Wipo ipse certe sibi solito more de carmine suo locutus esset In Ottone Fris. consistit etiam Wilmans (Pertz archiv X, 165 sq.). —

162) Archiv f. k. Oestr. geschq. 1048 1, 17. —

163) Hoc tempore coniicit Mabillon (ann. Benedict. Lucae 1739 IV p. 432 lib. LVIII cap. XCI) Bernonem Augiensem abbatem ad Heinricum regem misisse epistolam, quam e Villingensi quodam codice ipse excerpsit, quia eadem Hirmingardem Turicensem exabbatissam ille huius commendat misericordiae. ‚Incipit: ‚Domino meo regum invictissimo Heinrico pacifico, orthodoxae fidei propagatori gloriosissimo, Bern licet meritorum qualitate omnium suorum extremus, votivae servitutis assiduaeque orationis munus'. (‚In hac epistola Berno Heinricum laudat, quod Petro regi, ad ipsum suppliciter confugienti, sinum pietatis expanderit et non solum nullam vindictam de his, quae in se commiserat, sumserit, sed miro affectu foverit ac iuverit, quousque, Christo adiuvante eum regno suo restituisset'). ‚Haec pauca habui', (‚pergit Berno'), ‚quae vestri amoris impatiens pro tempore dicerem vestraeque maiestatis excellentiae benivole dirigerem' cet. cet. — Hoc quoque anno praemia de virtute distributa sunt Chron. Gosecense Mon. XII. 10 pag. 144 cap. 9 supra not. 76. — Ann. Altah. — B. 1523, 1524. —

164) Ann. Altah. —

Digitized by Google

que ad Petrum.[165]) Uxorem et filios audiit captos ab Heinrico; fere solus errabat per terram, cuius fuerat dominus; unica erat spes in interioribus regionibus inveniendorum adiutorum remotioribus a Germanorum conjunctione[166]) et superato Danubio trans Tibiscum tetendit. In casulam quandam alicubi descendit; sed illi ut homines, elementa videbantur infensa: est tacta de coelo; confugit in templum, ex quo non veriti sanctitatem loci accolae, quondam ab eo oppressi,[167]) eum extraxerunt. Vinctum deducunt ad Petrum, qui pro ‚scelerum poena' capite plecti eum iubet.[168])

Sed si cuius regis difficilis erat Petri conditio quamvis principe adversariorum ita sublato. Remanebant hi multi; neque poterat crudelitas subiectorum amorem facere non necessarium. Pullulabant clam veterum vernaculorum

---

165) Keza in Menfewensi sua pugna describenda ait: ‚(p. 112) ut dicitur, Aba rex victoriam habuisset, nisi quia Hungari quidam amiciciam Petro reservantes super terram sua vexilla proiecissent et fugissent'. Sunt haec alio translata mutataque Altah. ann. verba, quae servavit Aventinus quoque suo more exornata p. 502 ‚reparatis opibus Ovonem conflicturum cum Petro fuisse, tamen socios noluisse cum victoribus dimicare defecisseque ad Petrum.' —

166) Ovoni paganarum superstitionum sectatores 1041 fuerant fautores (v. not. 55); Petrum iidem de medio sustulerunt 1046 (v. infra). —

167) Ann. Altah. (Aventin. 502: ‚qui ab eo captivi illuc translati fuerant'; Keza 112: ‚quibus regnans nocuerat'). —

168) Ann. Altah. — H. Ctr. — Lambertus ad 1045. — Minus accurate computat chron. Ung. ap. Alberic. (Leibnit. access. hist. II b. 74 ‚Obbo (Ungaris) regnat annis duobus'; rectius chron. Poson. (Endl. Mon. Arpad. 55) ‚1044 Abba rex interficitur et Petrus rex in pristinum restituitur' (p. 58): ‚Aba rex III (regnavit annos). — Nugae videntur esse, quae profert Keza 113, (Ovo) iuxta quandam ecclesiam sepelitur.' (ex ecclesia conflata, in qua interfectus est) ‚post aliquot autem annos, cum esset effossum corpus eius de sepulcro, sudarium ac ipsius vestimenta invenerunt incorrupta et loca vulnerum resanata sepelieruntque tandem corpus in proprio monasterio', cui nimirum quo posterior eo fusior interpolatus Keza Thwróczii II, 37 chronicique Budensis fons ‚Sar' nomen dat. —

Digitized by Google

morum ac superstitionum cultura, quum denuo incederet Petrus exterorum stipatus cohorte, Baioariorum ac Bohemorum praesidio, detestabilior multis procul dubio quam antea, quia patriae libertatem omisisset. Vidit rex, quo res nutaret; et Februario 1045 misit ad Heinricum, qui discrimen nuntiarent instare citissimeque, ut in Ungariam descenderet, exhortarentur.[169]) Frisingae legati obvii facti sunt regi, qui reversus de devastata Lotharingia, Augustaeque Vindelicorum Longobardorum conventu habito 20. usque ad 26. Febr. illic morabatur. 7. Mart. cum Agnete uxore Heinricoque Baioariae duce Neuburgi erat ad Danubium, 31. Mart. Bambergae dominica palmarum.[170]) Nondum tamen obsecutus precibus quamvis proximus, finibus 7. April. pascha Goslariae occurrit, 26. April. Botveldi, tandem Maio mense Ratisponae.[171]) Ibi navibus instructis secundo flumine rex inter comites quamplures utriusque ordinis, Brunonem Wirciburgensem episcopum, carissimum consanguineum,[172]) Theodericum Basileensem, qui vel 1044 cum eo fuerant in Ungaria, Pataviam devectus est.[173]) 16. Mai. hic apud S. Stephanum Christi ascensionem celebravit; 18. Mai., invitante Richlinde, Adalberonis 27. Mart. 1045 mortui Ebersbergensis comitis[174]) vidua, cui gratiose 1040 1. Jan. ab ipsa et coniuge conditum Ebersbergense monasterium confirmaverat,[175]) in castrum Persenbeug e regione Ipsii de-

169) Ann. Altah. — H. Ctr. — A. Corbeien. — Ann. August. — Cf. v. Gerardi 19 (Endl. 227). —

170) Ann. Altah. — Böhmer 1525 cf. Giesebrecht p. 74 n. 1. — Ann. Altah, —

171) Ann. Altah. — H Ctr. — Böhmer 1526. — Ann. Altah. —

172) Cf. dipl. 1042 3. Jan. ap. Böhmer 1498. —

173) Theodericus diplomatis 3. Juni. Bersnich (Böhmer 1527, 1528) cancellarius subscripsit. — Ann. Altah. —

174) Necrol. Ebersb. Oefele II, 15. — Falsum ergo est dipl. Heinrici III dictum 1048 ord. 20 reg. 10 imp. 2 ind. I 22. Octbr. Ratisbonae (Böhmer 1583 cf. Stenzel II, 225). —

175) Böhmer 1454. Mon. B. XXIX 1, 56. —

Digitized by Google

scendit praesens confirmaturus traditionem bonorum beneficialium ab Altmanno Ebersbergensi abbate Welfo, post duci, filio fratris ipsius Richlindis faciendam. Quum iam teneret abbas ferulam symbolicam manu, corruit contignatio cum omnibus in solario versantibus in balnearium, quod subtus erat. Sanus evasit Heinricus, aliis erat letalis casus:[176]) post hebdomadem obiit Bruno episcopus 27. Mai., Richlindis 12. Juni.; Altmannus 16. Juni.;[177]) ille, quem Deus protexit, statim pergere potuit in Ungariam.

Ubi pervenit in hanc terram, regio more est susceptus Albamque quam vocant regiam deductus.[178]) Summi hic in tanti hospitis honorem apparatus erant instructi, praesertim quum 26. Mai. pentecostes festum uterque rex una celebraret. Quasi finem tunc se assequi tandem Ungaricorum bellorum Heinricus putabat, quum in ipsa solennitate coram omni populo a Petro Ungariae regnum, terrae principibus fidelitatem ipsi et successoribus iuramento renovantibus, per deauratam lanceam reciperet. Tanquam feudum reddidit statim illi, quoad viveret, possidendum.[179]) Etiam munera multa, maximum auri pondus, patrono suo tunc tradidit regulus,[180]) quae post

176) H. Ctr. — Ann. Altah. — Chron. Eberspergense antiquius Oefele II, 11; cf. recentius p. 14. — Sub Graino in Danubii gurgite (non Stockeravensi, ut habet not. ad Avent. 503) ann. Altah., quod Giesebrecht 75, 2 sive quidam Ebersperg., quod vult Waitz. Gött. gelehrt. anz. 1842, 395 (non chron. citatus supra) larva e rupe oboriens Brunoni mortem praedicasset (cf. Grimm deutsche sagen II, 180; Reil donauländchen der k. k. patrimonialherrschaften im V. O. M. B. 300 — 306 ap. Keiblinger Melk I, 161 not. 2). Hebdomadem post lapsum obiit Bruno verosimilius 27. Mai., 6. Kal. Jun. (Ekkeh. chron. Wircib mon. VIII 6, 30: sedit a. 11. m. 1. d. 14. (ex 14. April. 1034); ann. Altah. ap. Waitz. l. l. p. 405) quam 26. Mai. 7. Kal. Jun. (H. Ctr.). Cf. Ann. necrol Fuld. ap. Böhmer font. II, 160. —

177) Necrol. Ebersb. ap. Oefele II, 16. —

178) Ann. Altah. (Aventin. 504, Keza 113.) —

179) H. Ctr. — Ann. Altah. — Ann. Corb. —

Digitized by Google

peractum regali luxu convivium distribuit, universa militibus in superioris anni victorioso proelio sociis, superbius forsan, quippe videntibus Ungaris. Lanceam (et, ut quidem Gregorius papa vult VII, etiam coronam regni Ungarici) pio animo Heinricus gratoque Deo quasi donum quoddam obtulit, et — neque enim solum imperio verum etiam Christianae fidei lucrum factum erat — eam in memoriam sempiternam victoriae Romae apud Stos. Apostolos iussit suspendi. Diu etiam ibi est visa. Gregorius quidem VII 1074 28. Octbr. ob id eum hoc fecisse scripsit Salomoni regi, ‚ut regni a Stephano rege olim S. Petro cum omni iure et potestate sua oblati et devote traditi insignia illuc dirigeret, quo principatum dignitatis eius attingere cognovisset'. Heinrici vero tempore, prout illius res cum papis se habebant, vix ullus homo resignationis subiectionisque hoc signum putaverit de Ungaria pontifici factae; immo solam ob pietatem se id fecisse demonstrat ipse ut aliter ita, quod propria nisus autoritate sibi traditum regnum statim restituit Petro. Aequalis papa, Leo IX, 1052 commonuit Ungaros, ne detrectarent solita subiectione imperatori prisca persolvere tributa.[181]) —

180) Ann. Altah. — Ann. August. — Stenzel I, 86 n. 29. — V. not. 157 et 158. —

181) Praeter Altahenses 1045 de lancea ista loquuntur ann. Leod. mon. VI. 4, 19 1043 (id vult 1044) res 1044 cum 1045 gestis confundentes: ‚Rex Heinricus cum paucis Obbonem de bello fugavit et lanceam insigne regis recepit'. Inde Sigibertus (mon. VIII 6, 358). — Arnulfus Mediol. III, 6 (mon X, 18): ‚Deinde diebus multis modo cum Ungaris, modo cum Leuticiis pro tempore confligebat. De quibus omnibus nobiliter triumphavit, victos tributo coartans. Cuius unum insigne trophaeum aurata indicat lancea Ungrorum regi violenter extorta et Romae in apostolorum templo suspensa'. — Gregorius VII in epistola citata ad Salomonem Ungariae regem 1074 28. Octbr. Romae (regest. II, 14; Jaffé p. 413 nro. 3645. cf. Voigt, Hildebrand als papst Gregor VII 1846 p. 302 sq.): ‚sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae sanctae Romanae ecclesiae proprium est a rege Stephano olim Beato Petro cum omni iure ac potestate sua ob-

Digitized by Google

Post Albensem solennitatem statim Heinricus est reversus. 3. Juni. iam fuit Perschlingi,[182]) duas illarum unde diximus donationum, quibus 1043 acquisitam regio-

---

latum et devote traditum. Praeterea Henricus piae memoriae imperator, ad honorem Sti. Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad corpus Beati Petri lanceam coronamque transmisit et pro gloria triumphi sui illuc direxit insignia, quo principatum dignitatis attingere cognovit'. Pergit ‚Quae quum ita sint, tu tamen in ceteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, ius et honorem Sti. Petri, quantum a te, imminuisti et alienasti, dum eius regnum a rege Teutonicorum in beneficium, sicut audivimus, suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam Sti. Petri aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse, si iustitiam vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum nec sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae non regiae maiestatis beneficium cognoscas'. — Frustra idem in epp. ad Geisam ducem 1075 23. Mart. 14. April. (Jaffé 3702, 3710) negat, Ungariam fuisse imperii beneficiariam. — Similia profert Gregorii VII fidelissimus assecla, Bonizo, Sutriensis ep., in libro ad amicum lib. 4 (Oefele SS. RR. Boic. II, 801), qui post nonnulla Heinrici III facta Conrado II ascripta (cf. Stenzel II, 71 et s. n. 23) de Conrado suo, i. e. Heinrico continuat: ‚His ita gestis misit legatos suos honestos, ut decuit, ad dominum papam et supplicans, ut ei vexillum ex beati Petri parte mitteretur quo munitus posset Ungaricum regnum suo subiicere dominatui. Quod ut audivit papa, libenter concessit, et mittens nobiles suos ex latere suo, episcopum scilicet Portuensem et Belinzonem nobilissimum Romanum de Marmorato, eis haec tradidit praecepta, ut si regi non displiceret ipsi in prima acie vexilla portarent; quodsi regi displiceret, haec ei intimarent: ‚victoriam, quam tibi spopondimus, vide hoc, ne tibi ascribas, sed apostolis'. Quod et factum est; nam bello commisso fugerunt Ungari; capta etiam Ungarici regis lancea; quae per eosdem nuntios Romae delata est et usque hodie' († 1089) ‚ob signum victoriae ante confessionem beati Petri apostoli apparet'. — Tertius simile cogitaverit ignotus autor in Brunatii chart. coen. S. Justinae explicatio Patavii 1763 ex duob. mss. Jaffé reg. pont. p. 375 ‚accidit ut beatissimus papa Leo per Pataviensem civitatem in servicium S. Petri apostoli ad subiugandum, non hostiliter sed illorum sponte Ungaricum regnum iter aripereret —'. — Posterioribus temporibus super portam Guidoneam pendebat lancea illa, teste ciampino de sacris aediff. 4, 10 (cf. not. ad Arnulf. Mediol. (mon. X, 8, 18, not. 16) v. Muratori hist. ital. h. a. —

Digitized by Google

nem stabiliret Germanis[183]) faciens Altahensi monasterio et Reginoldo fideli, tertiam, postquam 10. et 12. Juli. Coloniae fuit, 15. Juli. Aquis Sigefrido marchioni.[183a])

Successibus, quos sic in orientalibus partibus habuerat Heinricus similes exinde invenit in aliis. Jan. 1045 Burgundiones quidam seditiosi antea comites se dediderant ei; eo reverso ex Ungaria ipse Godefridus dux desperans rebellioni renuntiavit, quem ut amicum redderet, 1046 18. Mai. denuo ducatu ante demto investivit. Eodem anno Liuticii ab ipso edomiti sunt et ut pristinum censum persolverent coacti; cuius initio non secus contra Theodericum Hollandiae comitem erat pugnatum; 24. Juni. Merseburgum ante Heinricum venere Bretislaus Bohemiae, Zemitzlo Pomeraniae, Casimirus Poloniae duces cum muneribus ac tributis; quorum dissidia 1. Jul. Misniae diremit.[184])

Itaque pax florebat[185]) ubique. Quaequae hucusque egerat Heinricus minora ipsi videbantur, quam quae agenda diu volvebat animo, ecclesiae nefando plurium paparum schismate divulsae reformatio imperialisque dignitatis per novum canonicum pontificem acquisitio. Si quis hic digna tanto suscipiendo nomine perfecerat, iam puer

182) Böhmer 1527. M. B. XXIX 1, 83 (Böhmer 1528, non 4. Juni.). — Staelin W, G. I, 618. —

183) V. supra not. 111 sq., 118 sq. Hoc in reditu coniicit Aventinus 505 Heinricum ex Ungaria Giselam reginam abduxisse, Pataviae collocandam, ex epitaphio (v. Avent. rhapsod. IX ap. Oefele I, 711; cf. Angelum Rumpler, abbat. Formbac. in collect. eius hist. Mon. Boica XVI, 551), secundum quem non. mai. 1095 (! centum annos post initum matrimonium, 1054 H. Ctr. defuncto senex iam) secunda Niedernburgensis abbatissa obierit ibique sepulta sit. Sed nullam fidem superflua oratione demonstravit habendam esse epitaphio Katona hist. crit. reg. u. I, 497 sq.: qui tamen Veszprimii Giselam conditam esse ibid. I, 50 sq. non probavit. Quod Stenzel I, 82 illam ad Heinricum III, sororis nepotem, confugisse et tandem Ratisbonae in monasterio decessisse scribit, fortuito errore videtur natum. —

183a) B. 1529, 1530 Boczek cod. Mor. dipl. I, 119. —

184) Ann. Altah. — H. Ctr. —

Digitized by Google

graviter SPES IMPERII dictus.[186]) Vocabant insuper ipsi Itali: quid huic erat opus addere stimulos?[187])

Etiam 2. Juli. fuerat Misniae, 8. Juli Rochider, 2. Aug. Fritislarae, 23. Aug. Spirae, deinde Herbrestingi, 28. Aug. Winterbachi, 7., 9., 10. Septbr. Augustae. Inde in Italiam movit validam expeditionem.[188]) Sed quam est rerum humanarum fragilis conditio! Vixdum Heinricus reliquerat Germaniam, quum ruptam esse communem illam quietem primus de Ungaria nuntius adfuit. —

185) Cf. etiam Helmold. chr. Slav. I, 22. —

186) Cf. bullam plumbeam Conradi II designatam ap. Beckmann hist. d. fürst. Anhalt lib. IV, cap. 3 tab. I nro. 10. —

187) Cf. Ad. Brem. III, 7: ‚Heinricus rex, domitis vel compositis Pannonum seditionibus ecclesiastica, ut dicitur, necessitate Romam tractus est'. Cf. Bonizo p. 801 ‚Interea Ungarica potitus victoria Italiam intravit'. —

188) Stenzel II, 220. — Böhmer 1542. — Stenzel II, 220. — Böhmer 1543 cf. chron. S. Benigni Divion (mon. VII 5, 236) ann. Ben. Div. (mon. V 3, 41). — Ibid. — Böhmer 1544. — Böhmer 1545—1550 ann. Altah. —

Digitized by Google

VITA.

Natus sum ego Ernestus Godofredus Guilelmus Strehlke Berolini 1834 27. Septbr., patre Friderico, tunc maxime Coloniensis quod dicunt gymnasii professore, matre Antonia e gente Weisz, evangelicae addictis fidei. Quum tertium agerem annum 1837 illo in directoratum scholae Petrinae Gedanum vocato hanc alteram meam in patriam deveni, ubi scholam, cui etiamnum pater praeest, frequentavi. Circa festum S. Michaelis 1845 in gymnasium urbis translatus sum. Hic secundi ordinis primique civi id gratum mihi evenit utilissimumque, ut cum v. cl. Theodoro Hirsch, historiae professore, quem iam, velut nunquam desinam, praeceptorem colueram, etiam arctiori conjungerer necessitudine, quippe qui a senatu disponendis archivi Gedanensis rudis antea indigestaeque molis ditissimis thesauris praefectus me in ministrandam opem arcesseret, quam praestiti, donec in hanc universitatem pascha 1852 me conferrem a v. cl. Dieterici rectore magnifico in albo recipiendus. Per tres annos et dimidium hic interfui scholis a vv. cll. optime de me merentibus Boeckh, Curtio, Dirksen, Geppert, Gneist, v. d. Hagen, Haupt, Helfferich, Hertz, Hirsch, Homeyer, Köpke, Massmann, Ranke, Ritter, Trendelenburg, Wattenbach, Werder habitis, quos semper summa cum gratitudine prosequar. Compellit eadem ne taceam me, quum philosophorum ordo 1853 3. August. proposuisset quaestionem de Heinrici III imperatoris gestis, ob opus quod equidem obtuli 1854 3. August. praemio ornatum esse. Jamiam postquam per hibernum semestre 1855/6

Digitized by Google

Gedani morbo detentus sum, huius vero aestatis ut vehementius iteratum repellerem magnam partem ad Reinertinas Aquas versatus; fragmentum illius quo magis licuit colligere vires, accuratius fusiusque tractatum et expolitum, ut idem ordo concedat mihi summos in philosophia honores petens offero dissertationem. —

Digitized by Google